¶ IN SACRAM Diui Ioannis Apocalypsim PRÆLECTIONES D. GVILIELMI Fulconis Angli Cantabrigiensis.

IOAN. C. 21. V. 24.

¶ Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his & qui scripsit hæc, & nouimus quod verum sit testimonium eius.

APOCAL. C. 22. V. 8.

¶ Et ego sum Ioannes qui vidi & audiui hæc.

¶ *Londini Pridie calendas Ianuarij, excudebat prælum Thomæ Purfœtij ad Lucretiæ symbolum. 1573.*

BRITISH MUSEUM

ILLVSTRISSIMO HEroi & Domino D. Roberto Dudleio, Comiti Leceſtrenſi, Baroni Denbighenſi. &c. Domino ſuo Colendiſsimo.

(.˙.)

Vartus iam agitur annus (nobiliſsime Comes) ex quo vindicatam ἀπο τῶν ὀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων (vt Paulinis verbis vtar) virulentis calumnijs, integritatem nominis mei, tanta tibi curæ fuiſſe profiſsus ſis, vt quo tutius impoſterum ab huiuſmodi nefarijs machinationibus viuerem, me ab otio literario (quod mihi alioqui dulce fuit) ad tua obſequia in aulam euocaueris. Ab eo tempore, cùm vulgo etiam prædicatas egregias animi tui dotes, quotidie oculis inſpexerim, & ſingularem imprimis erga me humanitatem ſemper expertus fuerim, quanquam te ventoſis laudibus & adulationem reſipientibus encomijs efferre nolim, tamen ingratus nimium, ac pœne plus quàm malignus cenſeri debeam, ſi heroicæ tuæ virtutis, publicè & priuatim teſtis eſſe recuſarē. Hoc tantum dicam, quod mihi quidem ſummum videtur, Deum opti. max. quos diligit, & eccleſiæ ſub cruce laborantis in terris, Patronos delegit, eos præclariſsimis moribus ornare, auctoritate munire, honoribus cumulare, vt Zelo gloriæ ipſius accenſi, quæcunque ab eo acceperunt bona, ad publicam gregis ſui vtilitatem conferant. Ad me itáque reuertar, quem ab vmbra academica venientem, non ad otium aulicum inuitaſti, ſed ad fructuoſum laborem ſeriò admoniſti. Iuſsiſti namque, vt ad tuam & familiæ tuæ pleniorem in Chriſto inſtitutionem, per ſingulis hebdomadis, aliquid è ſacris Dei oraculis interpretarer. Ego ne tam pio officio deeſſem, ad quod me diuinitus vocatū exiſtimabam, à Pſalmi Centeſimi primi expoſitione, incipiendum putaui in quo vates ille regius, quæ futura ſit illi forma gubernationis

cùm regnum adeptus fuerit, breuiter & luculenter describit. Vix Psalmi propositi dimidium attigeram, cùm subito nuntio omnium bonorum mentes perculsæ sunt, maximam septemtrionalium hominum turbam, infidorum Comitum fidem & arma secutos, à legitima principis suæ obedientia, ad fœdissimam Romani Pontificis tyrannidem ac seruitutem apertè defeciße, libros sacros & Euãgelicos publicè laceraße, exußisse, & horrendis contumelijs affeciße, ministros ecclesiæ acriter persecutos esse, bona eorum diripuisse, missam Papisticam pluribus locis quasi ab inferis resuscitaße, & nihil nõ hostile contra eos qui in fide persisterent molitos esse. Nec suis interim sese contenturos finibus, sed vniuerso etiã regno & ipsi Reginæ maiestati editis publicè scriptis Catilinarijs interminatos fuisse. Ad quorum sceleratos conatus maturè opprimendos, cùm boni omnes (vt sua quemque vocatio admonebat officij) & illi imprimis qui sunt regiæ maiestati à Cõsilijs, viri honoratißimi, sedulo inuigilarent, nouam mihi dicendi occasionem oblatam esse cernebam. Mutato igitur priore instituto, quod ad priuatam vnius familiæ ædificationem accõmodatum erat, cùm & publica ecclesiæ causa id exigere videretur, & confluerent ad me audiendum quotidie præter D.T. ex summa nobilitate permulti, quorum ad Euangelij dignitatem asserendam studium erat laudabile, & auctoritas in hoc regno sub regia maiestate ampliſsima: materiam & illis temporibus conuenientem, & tantis auditoribus dignam, tractandam suscepi. Partim igitur vt zelo meo indulgerem, & illis ad Euangelij defensionem currentibus calcar adderem: maximè verò vt ipsum cõmunem bonorum hostem Antichristum Romanũ mali totius fontem, omnibus pijs exosum redderem, & fideles ad ecclesiæ propugnationem alacriores efficerẽ: ex sacra diui Ioannis Apocalypsi, qui & illius mores viuis coloribus depingit, & huius fautoribus non defutura diuinitus auxilia promittit, initium dicendi sumsi. A duodecimo itaq; capite vnde exorsus sum, ad finem vsque prophetiæ, produxi lectiones illas, non minori spero cum fructu, quam cũ magna & diligenti D.T. & aliorum attentione. Superuenit tandem annus proximus, quo viginti ex more noui testamenti capita mihi in Collegio Diui Ioannis Cantabrigiæ, quadraginta lectionibus ex-

exponenda essent. Cùm igitur ad undecim vltima huius libri capita intelligenda, aliquid anteà operæ contulissem, ad priorem etiam eiusdem prophetiæ partem excutiendã animum adieci. Et cùm nec otio satis abundarem, nec ad nouos labores suscipiendos promtus essem, facilè in eam sententiã adductus sum, vt vna fidelia duos parietes dealbarẽ. Placuit tamen industria mea qualiscunq; quibusdam & pijs & doctis, vsq; adeò, vt cõmentationes illas, tenuerè & absq; vlla fere præmeditatione effusas, dignas existimarent, quæ ad publicã ecclesiæ vtilitatem scriptis cõmiterentur & typis etiam evulgarentur. Quid autẽ in illis reipsa, præstiterim, Spiritus Christi qui in ecclesia residet iudicium esto. Dedi certè operam (quantum licuit videre in tantis mysterijs) vt spiritus sancti mentem quoad posse dilucidè explicarem, inutiles argutias & otiosas speculationes vitarẽ, solidæ veritati insisterem. Et vt reliqua desint, aut minus saltem in his prælectionibus reperiantur, hoc vnũ mihi curæ imprimis fuit, vt nihil infarcirem quod ab Orthodoxæ fidei analogia alienũ esset. Multorũ fateor laboribus adiutus sum, qui in hanc reuelationem cõmentarios ediderunt, sed ita in illorum scriptis versatus sum, vt nullius addictus essem iurare in verba magistri, quin id quod veritati consentaneum crederem, cuiusuis gratia, auctoritate, eruditione antiquius semper habuerim. De meo igitur instituto, aut huius Prophetiæ vtilitate plura præfari nolo, quorum alterum hactenus satis expositum haberi velim, alterum ex ipsius vaticinij vsu & diligenti animaduersione clarius innotescet, quam cuiusquam vel disertissimi oratione, nedum mea tenui & ieiuna, explicari possit. Et quanquam scio de huius libri auctoritate varijs sententijs certatum esse tàm inter veteres quàm recentiores, cùm tamen à præstantissimis omnium ætatum receptus sit, de eo amplius disceptare nolo. Porrò quod de scriptoris etiã persona controuersum est, alijs Euangelistæ, alijs alteri cuidam Ioanni eum tribuentibus, hoc tantum dicã, q. ab ipso Apostolo & Euangelista Ioanne conscriptum esse credam. Illud verò attingendum duxi, quòd quidam nihil aliud quàm abstrusa & perplexa quædã ænigmata in hac prophetia tradi contendant, quorum genuinus sensus nullius ingenio aut labore erui possit. Quorum quàm absurda sit oratio,

vel hinc colligere liceat, quod omnia spiritus sancti oracula, ad ecclesiæ commodum referri debent. Quis autem potest eius esse fructus à quo abest intellectus? Quamobrem operæ pretium est cognoscere, quibus mediis & quasi instrumentis opus sit ei, qui ad huius libri mysteria penetrare velit. Quoniam igitur multa tractantur in hoc libro, sub variis figuris, Christianæ doctrinæ capita, vt de prouidentia Dei, de officio Christi, de ecclesia, & alijs id genus dogmatibus: requiritur absoluta horum omnium scientia, vt vnamquamque figuram ad rem designatam ritè quis adaptare norit. Deinde cum aliæ sint rerum futurarum prædictiones, necessaria est imprimis ecclesiastica historiæ cognitio, vt quãdo aut quomodo quidque adimpletum sit, vel manet adimplendum perspiciatur. Historiam voco, non solum nudam rerum gestarum narrationem, sed vniuersam etiam doctrinam, mores, & ingenia omnium nationum quotquot religionem aliquam in mundo profitentur. Tertiò cum sæpissimè ad varias per vniuersam scripturam dispersas figuras, alludat spiritus sanctus in hac prophetia, opus est diligenti collatione, ad harum intellectum ex illis eliciendũ. Quartò notandæ sunt phrases & modi loquendi prophetis veteribus vsitati, qui magnam adferent lucem huic prophetiæ, quoties iidem occurrant in ea, occurrunt autem sæpissimè. Quintò quod in omni interpretatione obseruandum est, id hic imprimis videndum est, vt circumstantiæ omnes diligenter expendantur, vt præcedentia cum subsequentibus, & mediæ cum vtrisque cohæreant prospiciendum. Postremò quod primo loco collocandũ esset, vt spiritus sanctus auctor huius prophetiæ, idem interpres, per ardentes ex humili corde profusas preces inuocatus adesse dignetur. Hæc si non desint, ad plurima etiam abditissima mysteria, aditus patebit studiosis nõ vsque adeo difficilis, & perspicua apparebunt multa, quæ prius tenebris plusquam Cimmerijs inuoluta videbantur. Sed ista quidẽ adiumenta, vt non omnino defuisse mihi in hoc negotio fateor, ita quã vix mediocria adfuerint, cogor palam confiteri. Hoc etiam accessit incommodi, quòd non quemadmodum Ioanni in solitudine dictata fuit hæc prophetia, ita à me in secessu aliquo exposita sit: sed in medio aulæ strepitu eius interpretatio primum quæsita, deinde extẽpora-

porali oratione proposita, demum tumultuario opere descripta, nihil elimatum aut politum continere potuit. Fretus tamen humanitate tua (illustrissime Comes) hunc meum conatum & qualemcunque laborem, tuo præclarissimo nomin, qui (præter quàm quòd eius suscipiendi occasionem obtulisti) omnia mea tuo iure vẽdicare possis, haud quaquàm metuo inscribere. Et licet nullo studio aut labore meo, tuorum in me meritorũ, vel minimã partem vnquam cõpensare valeam, non potui tamen aliter mihi satisfacere, quàm si gratitudinis meæ (quæ sola pauperibus est remuneratio) monumẽtum aliquod, ad posteros etiam transfunderetur. Dominus augeat in te sua dona indies magis magisq;, vitamque tibi non minus piam & sanctam, quàm longam & honoribus cumulatam concedere dignetur pro infinita sua bonitate.

Londini pridie Calendas Ianuarias.

Honori tuo deuinctissimus

Guilielmus Fulco.

¶ IN SACRAM D. IOANNIS APOCALYPSIM PRELECTIONES GVILIELMI FULCONIS.

CAP. I.

ANTEQVAM INGREDITVR Ioannes iustam visionum propheticarum narrationem, quædam præfationis loco præponēda duxit, quæ scilicet ad cōmendationē doctrinæ suæ facerent, & auctoritatē scripto suo conciliarent.

¶ *Apocalypsis Iesu Christi.* *Vers. 1.*

PRIMVS hic versus continet libri titulum, quod sit Reuelatio Iesu Christi, quam dedit ei Deus in hūc finē, vt seruis suis ostēderet ea quę breui fieri oporteret. Solemne est prophetis omnibus, ne sui cerebri commenta in vulgus spargere videantur, Deum citare doctrinæ suæ auctorem cuius generis sunt illa, verbum Domini, onus verbi Domini. &c. Quod idem facit Ioannes noster: Apocalypsis Iesu Christi: nisi quod illi Deum simpliciter allegant, hic Iesum Christū quæ à patre acceperit tradidisse sibi commemorat. Et sanè multo clarius hic, & significantius in Euangelij luce enutritus, quam in vmbris Mosaicæ legis educati Prophetæ. Nam licet Christus qui est sapientia patris semper oraculis pręfuit, cuius beneficio quicquid bonorum contulit vnquam ecclesiæ suæ Deus, acceptum ferre debemus: Hoc tamen olim non tam perspicuum erat patribus sub lege, ac postquam Dei filius carnem nostram induit, & seipsum nobis sublato velo manifesto inspiciendum patefecit sub euangelio. Rectè igitur Ioannes Reuelatio Iesu Christi, quo non solum cælestem hanc doctrinam ab omnibus hominum figmentis distinguit, verūetiam summam Iesu Christi Seruatoris nostri dignitatem extollit, cui diui-

nam hanc Apocalypsim tribuit: quod idem est ac si carnem nostram in tantum honorem euectam diceret, vt etiam abditissimorum Dei mysteriorum particeps fieret. Quod non mirum videri debeat, cum Christus ad dei dextram collocatus, patris vice ecclesiam atque adeo vniuersum orbem gubernet.

„ QVAM dedit ei Deus, vt ostenderet seruis suis. Admira-
„ bilis hic Dei bonitas elucet, quod tanta mysteria & rerum futurarum secreta, ecclesiæ suæ reserare dignatur, nec seruos suos ignorare patitur, quicquid eos scire quoquo modo conuenit. Hic itaq; statuitur deus doctrinæ huius Auctor, Iesus Christus, cuius interuentu ad nos tantus thesaurus peruenit, mediator, siquidem in eo qui caput est nostrum, nos etiam qui corpus eius sumus Deus complectitur, modo serui illius esse non recusemus, ad omnia illius iussa capescenda paratissimi. Porro nō vult his verbis Ioannes, ea tantum arcana, Christi cognitioni permissa esse quæ hoc libro explicantur, (nam cum sit sapientia Dei nihil illum latere potest diuini consilij) rerum intelligit Christum in persona mediatoris hanc Reuelationem à patre accepisse, vt eam ecclesiæ suæ communicaret. Nam non dubium est quin alijs etiam Apostolis & sanctis hominibus deus multa per visiones patefecerit, quæ vel ad eorum confirmationem, vel tum præsentis ecclesiæ admonitionem facerent. Sed hanc solum reuelationem, ad perpetuum totius ecclesiæ emolumentum scriptis commendari voluit. Nam sicut ante Christi aduentū cum doctrina esset obscurior, pluribus reuelationibus indiguit ecclesia, ita postquam lux Euangelij exorta, omnes obscuritatis tenebras discussit, paucissimis extraordinarijs visionibus contentos nos esse oportet. Vna igitur hæc, sed insignis admodum Reuelatio spiritui sancto sufficere visa est ecclesiæ, vt periculorum quæ subeunda illi essent cōmoneheret, atq; hoc est quod dicit Ioannes Deum dedisse Christo hanc Apocalypsim

vt

vt eam seruis suis patefaceret. *Quæ breui fieri oportet.* Licet multorum quæ in hoc libro prædicuntur executio in longum tempus differatur, intelligit tamen iam tum cōstituram huius prophetiæ vtilitatem, cum mox horrendæ persecutiones à Romanis Cæsaribus in Ecclesiam mouerentur, atq; adeo à Nerone & Domitiano iampridem moueri cœptæ essent. *Et misso Angelo.* Docet, cuius ministerio delata esset ad eum hæc reuelatio, nimirum missum à Christo Angelum sibi hæc omnia, partim verbo, partim signis demonstrasse. Et facit hoc non parum ad doctrinæ huius commendationem, quod cœlitus à Christo per Angelum demissa fuerit. Quod se seruū Christi vocat eodem sensu, quo cæteri Apostoli, *Paulus, Petrus, Iacobus, Iudas*, intelligit se famulum Christi ad ministerū Euangelij peculiariter destinatum.

¶ *Qui testificatus. &c.* Vers. 2.

AVCTORITATEM prophetiæ conciliat à suâ ipsius persona, quia sicut eum Deus præconē Euangelij sū constituit, ita fideliter munus sibi concreditum administrauerit. Hæc enim duo in doctore requiruntur, vocatio legitima, ne se quis temerè ingerat, nisi qui à domino vocatur, & fides incorrupta, vt syncerè ac diligenter partes sibi cōmissas exequatur. Significat igitur Apostolus iam satis perspectam esse ecclesijs fidem suam, quod is sit, qui semper hactenus verbum Dei & Euangelium Iesu Christi summa fide ac constantia testificatus sit, quo minus dubitare possint, ne nunc etiam visionē propheticā cœlitus ei demissam integrè & incorruptè retulerit. Sic in fine Euangelij à se conscripti. Hic est discipulus qui testimonium perhibet de istis, & qui scripsit hæc, & nouimus quod verum sit testimonium eius. Iohn 21. 24

¶ *Beatus qui legit & qui audiunt sermones prophetiæ huius, & qui seruant quæ scripta sunt in ea, tempus enim est propinquum.* Vers. 3.

AB vtilitate commendat doctrinam hanc quod eius studiosos inani verborum lenocinio more prophanarum lectionum ad tempus non oblectet, sed omnino in perpetuum beatos efficiat. Quod licet verè de tota sacra scriptura & quolibet eius libello enunciari possit, certum est tamen Ioannem de sua hic tantum prophetia loqui. Nam quod tempus esse proquinquum dicit, innuit fideles si quem fructum inde reportare velint, sedulo in istius prophetiæ meditationē incumbere debere, ne eos securos & oscitantes iam iam ingruentia pericula opprimant, quin potius huius prophetiæ doctrina instructi, aduersus omnem vim & fraudem inimici constantes stare valeant. Hic enim singularis amor Dei & seruatoris Christi erga suam ecclesiam nobis cōmendatur, cui tanta cura prospicitur, vt non modo imminentiū capiti suo malorum admoneantur fideles, verumetiam ratio ostendatur, qua non solum mala euitare, sed etiam in veram beatitudinem se afferere possint. Nimirū si in huius prophetiæ meditatione, & eorū quæ in ea continentur obseruatione sese diligenter exercere velint. Quo fiet vt ad omnes Satanæ insultus excipiendos sint parati, & in medijs malorum fluctibus securè triumphare valeant.

Ioannes septem ecclesijs. &c.

Vers. 15. 6. SCRIBIT Ioannes admonitus à spiritu sancto, ad septem celebertimas Asiæ minoris ecclesias, apud quas ingentem huius prophetię thesaurum deponere iussus est, vt earum fideli ministerio seruari, & in totum orbē propagari posset.

„ *GRATIA & pax. &c.* Precatur eis more Apostolorū
„ gratiam & pacem, gratiam id est gratuitum Dei fauorem, vt eas suo amore complecti dignetur vnde fluet pax illa hoc est felix omnium rerum successus, quem deus ijs concedere solet, quos pro filijs suis agnoscit.

„ *AB eo qui est. &c.* Hanc gratiā & pacē optat ab eo qui
„ solus eam largiri potest, nempe æterno Deo qui omnibus

bus ſæculis idem & ſui ſemper ſimilis exiſtit, apud quē vt *Iacobus* dicit, non eſt mutatio, nec vlla alterationis, obrumbratio, qui vt nunc eſt, & ſemper erat, ita in omnē ęui æternitatem futurus eſt eccleſiæ ſuę patronus, & propugnator acerrimus.

ET à ſeptem ſpiritibus. &c. Officiū eſt ſpiritus ſancti gratiam & pacē in fidelium cordibus obſignare, non mirum igitur ſi à ſpiritu ſancto eccleſijs illas contingere optat. Sed torquet nonnullos quod ſeptē ſpiritus, pro vno dixerit, nam vtcunq; varia ſint dona, vnus tamē ſpiritus efficit omnia in omnibus. Sed intelligendū eſt Apoſtolū hic loqui pro ratione viſionis ſibi oblatæ, quā exprimit CAP. 4. & 5. Vbi apparent ſeptem lampades, igne collucentes antè thronum Dei, qui ſunt ſeptē ſpiritus Dei, quod non magis vnitatem ſpiritus ſancti tollit, quam igneæ illæ linguę, quę in ſingulis Apoſtolorū conſederunt. Actor. 2. Quod ſpiritus ſeptem in conſpectu throni collocat, ſignificat non aliundè cœleſtia dona quæ ſunt effectus ſpiritus ſancti ad nos deſcendere, quam à ſummo illo patre luminum omnium bonorum largitore. 1. *Cori.* 12. *Iaco.* 1.

ET à Ieſu Chriſto,, Cū vnicus ſit mediator Dei & hominū Ieſus Chriſtus qui patrē nobis infenſum ſolus placauit, nō immerito precatur Ioannes ab eo gratiā & pacem, qui nos in Dei gratiā reduxit, & verā pacē inter deum & humanū genus morte ſua ſanxiuit. Ceterum quod varijs encomijs hoc loco Chriſtū ornat Apoſtolus, eo cōſilio facit, vt maior ſit huius Reuelationis, quā à Chriſto ſuſcepit, reuerentia & auctoritas. Idcirco primo vocat eum teſtem fidelem, hoc eſt veracem, qui nihil niſi quod è ſacroſancto patris ſinu deprompſit, eccleſię ſuæ proponere conſueuit. Vnde dicit ipſe, Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Qui igitur eius teſtimonio fidem derogat, ipſam veritatem mendacij accuſat, nec tantam blaſphemiam in filium Dei impunè feret. Huc etiam ſpectat quod primogenitus mortuorū, &

Princi-

Princeps Regum terrę appellatur. Quo summa illius tam in viuos quam in mortuos auctoritas asseritur, vtpote qui deuicta morte, & triumphatis hostibus, summum in cœlo & terra imperium assecutus sit. Cui si à morte redi-uiuo, & ad summum glorię fastigium assumpto, debitam fidem & reuerentiam non exhibemus, indigni prorsus sumus, qui vllo mortis suæ beneficio fruamur, aut quibus vllam gloriæ suę particulam impertiatur.

„ *Et qui* „ Cum incidit in mentionem beneficiorũ Christi, non potest se continere, quin ipsius gratiam meritis laudibus celebret, quod Paulum etiam ferè semper factitasse nouimus, quoties in eiusdem gratię considerationem rapitur. Et sane plus quam stupidi sumus, si ad tantorum beneficiorum recordationem, toti in gratiarum actionem, & gloriæ diuinæ celebrationẽ, non conuertimur. Simul tamen innuit, vel vnam gratiæ Christi recordationem, sufficere debere apud pios omnes, vt sacrosancta sit doctrinę eius auctoritas.

„ *Qui dilexit nos* „ Originem redemptionis nostrę statuit dilectionem Christi, quæ hoc nomine nobis mirificè commendatur, quod cum inimici essemus, non recusauit proprio suo & precioso sanguine omnes peccatorũ nostrorum sordes abluere, nosq; in Dei patris gratiam reducere, nec id solum, sed ex miseris & abiectis satanæ mancipijs, ex prophanis & impuris Dei cõtemptoribus, ad regiam & sacerdotalem dignitatem & sanctimoniam suo beneficio euexit. Cũ nos Regni sui particepes, & hęredes fecerit, & sacerdotes ad spirituales victimas deo offerendas consecrauit, ei merito laus omnis, gloria, & imperium in sæcula sęculorum Amen. Cæterum hic videant Papistæ, qui modis omnibus beneficium mortis Christi eleuare studeant: Apostolus vero nihil non tribuit, peccatorum remissionem, regium & sacerdotalẽ honorẽ quo Christiani eminent, Christo soli acceptum refert.

¶ *Ecce venio cum nubibus &c.*

Pre-

PERGIT in eodem argumento, vt fidem prophetiæ huic faciat, indicans non ſecurè quenquam contemnere poſſe hanc doctrinam, cum ab eo profecta ſit, qui venturus ſit Iudex viuorum & mortuorum, ſupplicium ſumpturus de impijs ſui contemptoribus. Cæterũ quod dicit venturum eum in nubibus, gloriam aduentus illius ſignificat, tam ad terrendos, & conſternandos reproborum animos, quam ad erigendas pias mentes in ſpẽ beatæ redemptionis, vt Math. 24. *& videbit eum. &c.* Nemo poteſt illius conſpectum fugere, quin impij velint, nolint in conſpectũ Iudicis ſui producentur, & qui maximè ſeſe ſubducere & occultare vellent, nempe qui eum pupugerunt, & indignis contumelijs ſpreuerunt, vel inuiti in lucem protrahentur, omnes deniq; tribus terræ, quæ omne imperium eius protervè reſpuunt, ſero tandẽ ſummo cum dolore agnoſcent, quam infelici conſilio, iugum eius recuſauerint, cuius iudicium vel inuitę ſubire cogũtur. *Vers. 7.*

ETIAM „ Duplici affirmatione Græca & Hebraica, obſignat ſuperiorem ſententiam, vt certitudinem eius commendet. Nam prophanis hominibus nihil facilius eſt, quam illudere ſpem noſtram de ſecundo Chriſti aduentu, & ſibi interim in delicijs ſuis indulgere: verum experientur tandem ſuo magno malo, quam non inanis ſit hæc promiſsio. Cum deſperabundę plangent ſe ſuper illum, omnes tribus terræ. Simul etiam exprimit Ioannes, quam ardentibus votis pij omnes diem illum exoptent, vt omnibus impijs proſtratis Chriſto ſua conſtet in ſolidum gloria. „ „

¶ *Ego ſum Alpha & ω.*

VLTIMO dignitatem iſtius prophetiæ illuſtrat, quia eius ſit qui eſt principiũ & finis ęternus & omnipotens, quem etiam (quo maior ſit auctoritas) loquentem introducit. *Vers. 8.*

Ego

„ *EGO sum Alpha*„ Alpha græcorum Prouerbio latinis e-
„ tiam ſcriptoribus vſitato, primum ſignificat, eadem ratione. ω. poſtremum indicat. *Principium & finis*, à quo creaturæ omnes initium ſumſerunt, quæ niſi arcana illius virtute ab interitu conſeruarentur, in nihilum ſingulis momentis redigerentur, quod licet cõtingeret, nihil tamen ſacræ illius maieſtati decideret. Nam vtcunq; creaturæ omnes mutationi ſunt obnoxię, ſolus deus eſt ab omni inſtabilitate immunis. Reſtat igitur ſi beati eſſe volumus, vt illi toti adhæreſcamus, quia extra eum, nihil pręter corruptionem & interitum reperiemus.

„ *QVI eſt. &c.* Hoc eſt æternus immutabilis, omnibus ſę-
„ culis idem. *Et qui venturus eſt*, Indicat non de incõprehenſibili eius eſſentia verba fieri de qua nimium temeraria garriunt ſophiſtæ, alioquin diceret, & qui futurus eſt, ſed cum venturum ſe aſſerit, ſignificat gloriam ſuam poſthac etiam hominibus manifeſtatum iri, tam ad eccleſiæ conſolationem, quam ad reproborũ ruinam. Dicitur enim venire dominus vel ad defenſionem fidelium, vel ad vltionem impiorum.

„ *OMnipotens*„ Nequaquam hic potentiam otioſam quæ
„ nihil agat ſomniare licet, ſed quæ omnia nutu ſuo gubernet, prouidentia diſponat, virtute perficiat. Senſus eſt Chriſtum (qui ſit Alpha & ω, principium & finis, æternus, immutabilis, omnipotens) auctorem eſſe huius prophetiæ, vt eam reuerenter ſuſcipiant fideles, impij nõ impunè contemnere poſsint.

Verſ. 9. ¶ *Ego Ioannes.*

IAM ingreditur narrationem primæ viſionis, tempus locum & modũ eius deſcribens. Sed offendit nonnullos quod toties nomen ſuum inculcat, quaſi non opus erat, tam admirandas viſiones exponenti, ſępius admonere fideles, quis ſit, ne humani cerebri figmenta eſſe ſuſpicarentur, cum ab eo teſtata eſſent, cuius vocatio & fides, ſatis

ſatis perſpectę eccleſijs erant, quod idem ab alijs prophetis & precipue à Daniele factitatũ nouimus, qui frequẽtius nomen ſuum repetit hoc noſtro Ioanne. Quanquam inſignis Apoſtoli modeſtia hic elucet, quod cum multis nominibus excelleret, ſe tamen parem reliquis facit, fratrem ſe vocans, & participem communis piorum gratiæ. Longe aliter Romanus Pontifex, qui etiam in friuolis quæſtiunculis, nihil aliud quam Apoſtolicæ ſedis dignitatem, & ſuę ſanctitatis excellentiam crepat. Verum notanda ſunt tria hæc in quibus communicare ſe dicit Ioannes, in afflictione, in regno, in patientia Ieſu Chriſti. Vendicat igitur ſibi ſortem in afflictionibus, quia fieri vix poteſt, vt quis ſyncerè Chriſtum profiteatur, quin varias tribulationes illi moliatur ſatanas: quanto magis ſi præconem agat Euangelij? ſed glorioſum eſt pro Chriſto pati. Conſolatur igitur fideles Ioannes, quod non alijs dei ferulis caſtigarentur, quam ipſe, quem ſciebant deo eſſe chariſsimum. Sed plus eſt quod addit, in regno, nam ſi conformes efficiamur paſsionibus Chriſti, & gloriæ etiã particepes erimus: iuxta illud Pauli, ſi compatimur, & ſimul regnabimus. Quanquam etiam qualitatem Regni Chriſti proponit, in hac vita, quę talis eſt, vt licet tribulationibus indies obrui videamur, victrix tamen ſuper omnes afflictiones Regni eius maieſtas emineat. Quod vero tertio adiungit in patientia, docet non aliter prodeſſe nobis afflictiones ad Regni conſecutionem, quam ſi eas patienter pro Chriſti gloria, & Euangelij illius propagatione feramus. Ne interim omittam, quod patientiam Chriſti dicit, quæ non niſi eius beneficio cuiquam contingere poteſt, vt tranquillo & pacato animo, imo hilari & alacri, crucem humeris impoſitam, ſuſtinere queat.

Fui inſula Patmo, Locum indicat, nempe paruam deſertam, incultam, & aſperã maris Ægei inſulã quæ Patmos appellatur, quo eum à Domitiano tyranno relegatum, hiſtoriæ vno conſenſu fatentur.

¶ *Propter sermonem.*

Vers.9. CAVSAM exilij sui exprimit verbi dei & Euangelij Christi prædicationem, non quod illic sesessum spõte quæsiuerit, quemadmodum posterioris ætatis Monachi, Heremitæ & Anachoretæ, quos præstitisset, siquidẽ potuissent, & licuisset eis, in sermone Domine annunciãda, & Euangelio prædicando, in celeberrimis Ciuitatibus fuisse intentos, si verè Ioannem imitari voluissent.

¶ *Fui in spiritu in die Dominico.*

Vers.10. IAM tempus designat, quo ei oblata esset hæc visio, nẽpe diem dominicum, qui dies sacer erat conuentibus Christianorũ, & prima Sabbati Paulo vocatur. Quo tempore non dubito, quin Ioannes in vasta illa solitudine, licẽt corpore absens, animo tamen præsens fuerit cũ ecclesijs: & pijs meditationibus earum tutelam & patrocinium Christo commendaret. Quod se in spiritu fuisse narrat, intelligo raptum fuisse extra se, corporeos sensus interquieuisse, vt animus liberior esset, ad ea contemplanda, quæ dominus ei ostenderet. Admonemur hîc loci alicuius ignobilitatem aut squalorem, non obstare, quominus pius animus, ad cœlestis gloriæ penetralia euehi possit. Accipit visiones Ioannes in Patmo Insula. Petrus in tecto coriarij, & postea etiã in carcere. Paulus in lacera naui, nihil enim excellentia loci ad talia conducit, nec indignitas officit.

„ *AVDIVI post me. &c.* Quod subitò vocem magnã
„ instar tubæ personantis audit, voluit eum dominus
„ nouitate & magnitudine rei primum percelli, vt attentior esset ad ea excipienda, quæ postmodum ipsi reuelãda essent. ad quem finem etiã refero, quod à tergo vox hæc sit audita. Magis enim subita & inopinata sunt, quæ à tergo nos adoriũtur, quam quæ à fronte obijciuntur.

¶ *Ego sum Alpha. &c.*

Vers.11. NE dubitet Ioannes diuinitus hãc sibi visionem offerri, testatur Christus clara voce, se esse deum æternum, primũ

primũ & nouisſimum, quo ſenſu dominus apud Eſaiam. Capite 41. & 44. ſe dicit primum & nouisſimum. ,,

QVOD vides. Vt non ſui ipſius cauſa tantum, diuinæ ,, reuelationis participem ſe factum putet (quemadmodum Paulus in tertium vſq; cœlũ raptus, audiuit, quæ effari nefas eſſet) ſed vt eam toti eccleſię communem faceret, iubetur quæ viderit in librum congerere, eumq; ſeptem Aſiæ eccleſijs deſtinare, tum vt cuſtodes eſſent prophetici libelli, tum vt teſtes eſſent apud totum orbem, illius Apoſtoli miniſterio eſſe conſcriptum, de cuius fide & ſynceritate ſatis ipſis compertum eſſet.

¶ *Et conuerſus ſum vt viderem.* *Verſ.* 12.

CVM nihil à fronte cerneret, & tamẽ iuſſus eſſet ſcribere quę videret, cõuerſus eſt vt videret eũ à quo vox illa profecta erat, qui eum etiam quaſi notũ familiariter compellare viſus eſt. Cõuerſus, vidit aurea ſeptem candelabra, quę quoniam ipſe Chriſtus poſteà interpretatur eccleſias, nõ eſt quod diutius in eis hæreamus. Tale quid oſtenſum eſt Zachariæ, Cap. 4. niſi quod ille vnam prototа eccleſia vidit, hic ſeptem pro pluribus, particularibus eccleſijs totius vniuerſalis mẽbris. Quomodo verò ſymbolum rem ſignificatam aptè referat, poſteà explicabimus.

¶ *Et in medio. &c.*

NON multũ intereſt vtrum intellgamus Ioannem agnouiſſe in angelo quem viderat ſpeciem Chriſti, an ſimpliciter pro more veterum prophetarum loquutus, ſentiat eum humana forma indutum apparuiſſe, modo illud nobis conſtet, Chriſti perſonam & figuram geſtaſſe, qui ſe videndum præbuit. Is enim in medio eccleſiæ ſuæ verſatur, eamque ſpiritu ſuo gubernat, & curam eius gerit aſsiduam. Fruſtra igitur quærimus Chriſtum, niſi in eccleſia, fruſtra etiã eccleſiam niſi in Chriſto fundatam. Nec enim vnquam ſeiungitur ab eccleſia Chriſtus. Hic quid reſpondeant Romani pontifices qui, ſe Chriſti quaſi abſentis vicarios iactant, quem tamen Ioannes in *Verſ.* 13

medio candelabrorum vidit, quia eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, & illius regimen ſibi ſoli vendicat.

„ *INDVTVM veſte*„ Quia veſtis huiuſmodi ſacerdotalis erat, non diſplicet quod affertur, eam hic puritatē & innocentiam ſacerdotij, quo fungitur Chriſtus ſignificare, quanquam ſimplicius eſt meo iudicio, vt rarā quandam perſonæ dignitatem & venerandam maieſtatem indicet.

PRÆCINCTVM ad mamillas aurea Zona„ Zona etiam præcingebantur ſacerdotes; vt expeditiores eſſent ad numera ſua obeunda, ſiquidem veſtis laxa & liberè diſſluens, impedimento eſſe ſolet hijs, qui celeriter opus aliquod perficere debent. Præcingitur itaque Chriſtus aurea zona, ne tanquam mortuum ſimulachrum, aut otioſus ſpectator, inter candelabra ſtare videatur, ſed qui ad negotia ſibi in adminiſtranda eccleſiæ neceſſaria, ſit accinctus, atque adeo paratiſsimus. Quæ ſane promptitudo quouis auro precioſior, tanto ornamento eſt illius offitio, vt per auream zonam, nō immerito ſignificari debuit. Sed quod pectus potius quam lumbos, præcinctos habeat, nonnullis videtur hac ratione factum, quod non opus habuit ſicut mortales miſeri prauos affectus, à quibus liber erat, cinctura cōpeſcere, ſed pectus prudētia & amore erga ſuos refertiſsimū, ad ſedulitatem eius ſignificandam aureo Baltheo circundare.

Verſ. 14. *¶ Caput vero eius & capilli &c.*

PER candorem hunc capitis & capillorum, neceſſe eſt intelligamus, admirandam eius & largè ſupra hominū conditionem eminentem gloriam & dignitatem, quę tamen in humana Chriſti natura effulget. Cuius ſpeciem ędidit tranſformatus in monte, cum veſtimenta eius quauis niue candidiora ſplendeſcerent.

„ *OCVLI eius*„ Alij ad iracūdiā referunt, qua contra hoſtes eius accēſus eſt, mihi potiꝰ ſummā eius perſpicatiā ſignificare videtur, qua velut ignis, omnia penetrare ſolet, vt nihil illius conſpectum fugere poſsit, ne ſecreta quidem

quidem & receſſus cordium. Fruſtra igitur hypocritæ eius viſum latere ſe poſſe confidunt, cuius ignei oculi, ad quæuis arcana penetrant. Et tale quidem caput eccleſiam per totum orbem diſperſam decebat, quod igneis oculis inſtructũ, in omnes eius partes circumſpicere poſſet atq; tectas & occultas Satanæ fraudes deprehẽdere, deprehenſas euitare valeret.

¶ *Pedes eius ſimiles. &c.* *Verſ.* 15.

CONSTANTIAM & indefeſſum Chriſti ſtudium in procurãda eccleſia ſimilitudo hæc exprimit. Cum pedibus hijs aſsiduo obambulet in medio candelabrorum, ſimul etiam notatur pulchritudo vel perfectio viarum eius, quod pedes metallicos igne probatos ac perpolitos habeat.

VOX eius ſicut vox aquarum. &c. Prius comparauit vocẽ eius tubæ, nunc aquarum multarum fragori, & poſtea etiam tonitruo conferet, nec immerito, quę per totũ terrarum orbem in Euangelij promulgatione perſonuit, quæ vt reliqua tranſeamus, tantæ virtutis eſt, vt eam mortui è ſepulchris ſuis audituri ſint, quo magis pudẽda eſt eorũ ſtupiditas, quorum aures eius ſonitu indies pulſatæ, vel vix parum tandem audiunt, vel penitus obſurduerunt.

¶ *Et habebat ſeptem ſtellas.* *Verſ.* 16.

STELLAS interpretatur ipſe angelos id eſt paſtores eccleſiarũ, quos infinitis alioqui periculis obnoxios, dominus dextera ſua manu ſuſtinet ne labantur, & ſumma cura eos protegit, quibus ipſe eccleſiæ ſuæ curam commiſit. Admonentur hic veri paſtores, non deficiendum illis eſſe, propter vllos labores, cruces, afflictiones, quia vtcunq; Satan & miniſtri eius ſtruant eis calumnias, carceres tormenta, mortem deniq; minitentur, ſtrenuè tamen omnia contemnere debent quod eorum ſalus illi ſit curæ, cuius è manu nulla vis eos eripere poteſt.

EX ore eius. &c. Tritum eſt in ſcripturis, verbum Dei gladio vtrinque incidenti comparare, quem *Paulus* vocat enſem

ensem spiritus. Hoc gladio armatur fideles aduersus omnem Satanæ vim, dolos, & versutiam, cuius efficatiam Apostolus ad Hebræos Capite. 4. pulchrè describit. Hoc Christus ipse pugnat contra hostes suos, hunc non aliunde quam ex ore eius procedentem accipere licet. Quod enim ex sacro Christi ore non prodierit, pro verbo Dei nullo modo suscipiendum est.

„ ET *vultus illius sicut sol. &c.* Quod sol est orbi terrarū,
„ id Christus est ecclesiæ suæ, qui cū vnicus sit, & in cœ-
„ lo positus, totam tamen ecclesiam in terra peregrinantē,
splendore suo illustrat. Quippe sol est iustitiæ, qui simul ac piorum conscientijs affulget, omnes illico Satanæ tenebras discutit, & mentem incundissima luce perfundit. Cūius fulgori frustra nititur diabolus nebulas offundere, quæ tantum abest vt eius vultum obscurare queant, vt illis dissipatis ac discussis, multo illustrior gloria eius exoriatur.

Vers. 17 ¶ *Et cum vidissem. &c.*

ASPECTVM gloriæ diuinæ ferre non potest humana infirmitas, quin statim corruat. Non mirum igitur si Ioannes Christo in tanto splendore conspecto, tanquam mortuus ante pedes eius procidit. Quo maior reuerentia debetur verbo eius, quo nos ad se tam blandè & familiariter allicit, qui si vel minimam cœlestis suæ gloriæ vmbram patefaceret, nequaquam sustinere possemus, quin velut mortui humi procumberemus.

„ ET *posuit. &c.* Erigit seruum suum prostratum Domi-
„ nus, tactu & voce. Postquā enim humiliauit nos deus potentiæ suæ virtute, & ad obsequium suum formauit, rursum per misericordiam consolatur. Admonemur hic, quod ad cœlestis gloriæ intuitū, mortui iacebimus, nisi Christus nobis manum porrigat, & metum nostrum sua voce nobis eximat.

„ NE *metuas* „ Indicat non esse timendum ijs, quibus
„ Christus qui est primus & nouissimus propitius esse dignatur.

¶ Et

¶ *Et viua & eram mortuus.*

ET qui viuit in hoc, vt suos ad deum per ipsum accedē- *Vers.* 18.
tes perpetuò seruare possit. Cui tantum abest vt mors vitam abstulerit, vt contrà, morte deuicta immortalē vitam assecutus sit. Particula, Amen, additur ad maiorem confirmationem.

ET habeo claues. &c. Imperium mortis æternæ se adeptū ,,
dicit, vt significet, non esse metuendum à morte & in- ,,
ferno hijs, quorum tutelam Christus suscepit. Contrà verò, æternis supplicijs adiudicandos esse, qui ei hostes extiterint, qui claues habeat inferni & mortis.

¶ *Scribe. &c.* *Vers.* 19.

MANDAT vt visiones sibi oblatas, diligenter scriptis commendet, ex quibus innuit, alias esse descriptiones rerum iam tum præsentiū, vt quæ ad septem illas ecclesias peculiariter spectabant: alias ecclesiæ conditionem ad finem vsque sæculi exprimere.

¶ *Mysterium. &c.* *Vers.* 20.

CHRISTVS est optimus omniū mysteriorum interpres, exprimit igitur mysterium septem stellarum, & septem candelabrorum. Docens per stellas, ecclesiarum ministros significari, quos cælestis doctrinæ luce præire ecclesijs conuenit, & vt stellas, omnem splendorem suum à sole mutuari. Per candelabra aurea, ecclesias ipsas demonstrari, quas Dominus elegit, ad lucem Euangelij in medijs huius mundi tenebris sustinendam, quem admodum alibi colūna veritatis vocatur ecclesia. Ex auro sunt candelabra, vt quanto in precio sint apud Deum agnoscamus. Porro hic extrà ecclesias, quæ sunt candelabra ad lucem ferendam, nihil nisi horrendas tenebras in mundo esse comperiemus. Christū igitur oremus, vt lucem hanc nobis perpetuò seruare velit, & à mundi huius tenebris extractos, ad lumen cœlestis gloriæ ipsius, nos perducere, cui omnis laus & honor in sæcula sæculorum.

¶Et angelo Eccleſię.&c.

Caput. II.

Verſ. 1.

Quam Vtilis Futura Sit ſequentibus ſęculis, hæc prophetia, intelligant eccleſiæ, eóq; maiori reuerentia excipiant, religione conſeruent, diligentia promulgent, aliquo in ſeipſis experimẽto dominus eas erudiri voluit. Epheſina eccleſia quaſi metropolis erat totius Aſiæ. Non quod auctoritate aliqua ſupra reliquas emineret (nulla enim differentia inter aurea candelabra conſpiciebatur) ſed in vrbe celeberrima collecta eſſet, ideoq; exemplo doctrinæ & morum, facem præferre debuiſſet. Et Angelis eccleſiarum ſcribit, id eſt miniſtris, & paſtoribus, non quod ijs ſolis neceſſariæ eſſent admonitiones, ſed quod ab illis, ſiue bona ſiue mala, in totũ eccleſiæ cui præerant corpus, manare ſolebant, quemadmodum etiam in eccleſia, quæcunq; bene vel male ſe haberent, eorum vel diligentiæ vel ignauiæ imputari debuerunt.

„ *Hæc dicit qui tenet*„ Vt ſcirent quanti facere deberent „ admonitiones iſtas eccleſiarũ miniſtri, præfatur Chriſtus, à ſeipſo qui paulo ante in viſione graphicè deſcriptus erat, ſingulas eſſe profectas. Quod ad Epheſinum ſpectat, illius eſſe mandatum ſcribit, qui tenet. &c. Hoc eſt qui tam eccleſias, quam earum paſtores, ſuo patrocinio tuetur, & cura conſeruat incolumes, vt agnoſcat illius beneficio acceptum referre, quod à tot malis immunis, tantiſque virtutibus ornatus, à Chriſto laudetur.

¶ *Noui opera tua. &c.*

Verſ. 2. Quia nihil facilius eſt hypocritis, quam iactare fidem, quę nullis extrinſecus operibus eluceat, aut fucatis tantum glorietur, præfatur omnibus, ſe qualemcunque fidem externa profeſsione iactent, opera eorũ qualia ſint penitus habere cognita, & perſpecta, *Laborem*. Sedulitas huius paſtoris in gubernãda eccleſia, permagna fuiſſe videtur, quod eam dominus tali encomio dignatur, & eſt mi-

miniſtro qui curam gerit dominici gregis inprimis neceſſaria, cui & patientiam adiungere oportet, quia fieri non poteſt, vt quis diligenter prouinciam ſibi cõmiſſam adminiſtrare valeat, quin varias contra eum perſecutiones & moleſtias molietur Diabolus, ad quas forti & infracto animo perferendas, opus eſt patientia.

ET non potes ſuſtinere malos. &c. Commendat etiam zelum illius in exterminandis ab eccleſia improbis, & qui ad ſaniorem mentem reduci nolunt, non ijs tantum qui palam tales eſſent, ſed qui ſub honorifico Apoſtolorum nomine ſeſe ingerebant, cum eſſent interea nefandę peſtes eccleſiarum, cuius generis feruntur *Nicolaus, Ebion, Cherinthus, Marcion, Manichæus*, qui nouis dogmatibus Euangelij puritatem conſpurcare nitebantur, quorum ille fraudes & impoſturas diligentia, necnon prudentia inueſtigatas deprehendit, atque deprehenſis fortiter ſe oppoſuit.

¶ *Et ſuſtinuiſti & patientiam habes.* *Verſ. 3.*

LICET eorum impietatem ferre non poterat, coactus eſt tamen motas ab illis turbas & perſecutiones ſuſtinere, quas quia patienter tulit, verè ſe habere non iactare patientiam demonſtrauit. Poſtremò quod propter nomẽ Chriſti, tantos labores vltrò ſubire voluerit, nec vnquam victus moleſtijs defecerit, ſatis argumenti fuit, eum Chriſti non ventris ſui ſeruum, eccleſiæ paſtorem non mercenarium extitiſſe.

¶ *Sed habeo contra te. &c.* *Verſ. 4.*

NIHIL eſt in hac corrupta hominũ natura vndequaq; perfectum. Nam is cui paulo ante nihil ad boni paſtoris laudem deeſſe videbatur, nunc accuſatur, quod primam dilectionem reliquerit. Nam cum proficere nos indies oporteat in pietatis ſtudio, & charitate erga proximos, iſte nullos progreſſus fecerat niſi in deterius. Remiſerat enim multum de primo eius ardore, quem tamen in ſingulos dies magis accendere debuerat. Sed quæri poteſt, quinam prius commendaretur zelus eius & indefeſ-

sum laborandi studium. Responderi potest laudabilem fuisse etiam tum zelum illius, etsi ante multo feruentior esset, & fieri potest vt qui heroico spiritu aduersus impios præditus sit, non tamē fratres quo debet amore prosequatur. Hæc enim duo coniungo, pietatem in Deum & amorē erga fratres quia neutrum siue altero consistit.

¶ *Recordare igitur. &c.*

Vers. 5. DEPREHENSO & indicato morbo, quamlibet occulto, pœnitentiæ medicinam admouendam suadet: quæ vt salutaris esse queat, duo illi præcipiuntur, primū vt expēdat, è quanto pietatis fastigio deiectus sit, ex quā beata conditione deciderit, & quo tandem (nisi maturè caueat) prolabi eum necesse sit, qui dilectionem intra se paulatim interire sinet. Alterum est, ne more hypocritarum blandiatur sibi in hoc pernicioso statu, nec prætextus excusando sceleri quærat, sed absque mora primā dilectionem recuperet, & priora opera faciat. Quæ si neglexerit, breui experturus sit, quam non tutum sit amicas Christi admonitiones contemnere, cum candelabro eius è sede sua moto, nihil nisi horrendam caliginem & tenebras plusquam Cimmerias superuenturas ei expectare possit. Admonet hic locus, quam seuerè castigaturus sit deus neglectum proficiendi studium. Sed absurdū videtur ecclesiam totam propter vnius culpam, extremo exitio deuouendam, verum meminisse conuenit, ab ipso pastore, malum hoc in totum ecclesiæ cœtum peruasisse. Quales enim ministri sunt, talem esse plebem sæpissimè videmus. ¶ *Verum hoc habes. &c.*

Vers. 6. MERVISSE eum sentit vt iam illico, graues pœnas de eo sumeret, sed ne priores virtutes debito præmio fraudari putet, indicat resipiscendi tempus esse concessum, præcipue quod doctrinam & opera Nicolaitarum iusto odio prosecutus sit, quæ sibi etiam Dominus odio digna pronuntiat, quæ si veteribus scriptis credimus, fœdæ erant matrimonij pollutiones, & vxorum prostitutiones, quas habere inter se communes volebant, & postea

ſtea Chriſtus ſcortationem,& Idolothytorũ eſum vocat. Sed de meritis operum intempeſtiuè hic quæſtionẽ mouebunt Papiſtæ. Cum impiorum etiam opera, in ſpeciem bona, Dominus aliquo præmio non rarò ornare videtur, vt Achabi ſimulatam pœnitentiã,quod ideo facit,vt verè bona admodũ ſibi placere oſtendat ,multo magis piorum virtutes , omnium bonorum auctori gratæ eſſe debent , non quod ita merentur cum ſint imperfectæ , ſed quia per paternam indulgentiam boni conſuluntur.

¶ *Qui habet aures. &c.*

Vers. 7.

NE hæc ſolis eccleſiarum paſtoribus , quis dicta exiſtimet,omnes in vniuerſum compellat ſpiritus ſanctus , quotquot aures ad audiendum perforatas habeant, quid ſpiritus non Angelis tantum,ſed ipſis,etiam eccleſijs dicat. Vnde ſatis intelligimus, non eſſe has priuatas ſingulorum,ſed communes omnibus admonitiones. Nã qui ſimiliter deliquerint pari ſupplicio ſunt afficiendi, quemadmodum eadem etiam præmia conſtituta ſunt eaſdem virtutes quæ hic commendantur æmulantibus.

Et qui vicerit „ Certamen magnum eſſe pijs docet cum „ hoc mundo,& cum diabolo ,ſed contemnendos eſſe labores propter ineſtimabilẽ præmij magnitudinẽ. Victoribus igitur in hoc certamine conceſſurus eſt dominus, qui eſt Agonothetes noſter,vt edãt ex fructu arboris vitæ æternæ,quæ eſt in medio cœleſtis paradiſi , à cuius vſu parentes noſtros propter peccatum merito excluſos eſſe nouimus. Docemur hic Chriſtum eſſe qui paradiſum nobis clauſam aperiat & vitam æternam (cuius erat ſacramentum arbor vitę) gratis donet,non tamen ſegnibus & otioſis,ſed fortiter contra hoſtes dimicãtibus,& illius tandem virtute ſuperantibus. Admonemur etiam quantus ſtimulus eſſe debet ad contendendum , magnitudo præmij, victoribus propoſita , cũ videamus quotidie maximos labores ob minima huius vitæ corruptibilis ornamenta,non recuſari,modo id quod quærunt homines aſſequantur.

¶ *Et angelo. &c.*

SMYRNA, erat clarissima ciuitas Ioniæ. Ad eius igitur vrbis episcopum secundã epistolam destinare inbetur. Erat hic (vt videtur fidei & Christianæ pietatis obseruantissimus, cum Dominus in eo nihil) reprehendendum duxit, non quod absque peccato fuerit, sed quod quatenus humanæ imbecillitatis ratio ferebat, à sceleribus grauioribus immunis, & muneris sibi commissi, fidelis administrator erat. Quod eo magis fiebat, quia eũ dominus assiduis tentationibus exercuerat. Nam videmus vt otium parit securitatem. Opus erat illi itaq; magna cõsolatione, quia multis rebus aduersis premebatur. Tali igitur præfatione Christus vtitur, quæ ad eum cõfirmandũ sit aptissima, quod sit primus & nouissim⁹, id est, æternus Deus, quare licet omniũ afflictionum grauissimam, mortem pertulerit, victor tamẽ mortis & inferorum Christus non sibi sed nobis viuat in perpetuum.

¶ Noui opera tua afflictionem, & paupertatem.

Vers. 9. PROBARI à Christo opera eius, debuit instar esse omniũ præmiorum & consolatio maxima, nec enim deserere potest eos Deus, quorum opera sibi placere testatur, sed pergit & afflictionem eius & paupertatẽ imprimis sibi perspectam esse dicit. Nihil temerè vel absq; illius consilio, in pios immittere potest diabolus. Dominus & afflictionum pondus, & seruorum suorũ vires nouit, vnde nõ sinet eos vltra id quod possunt tentari, sed è medijs tentationum laberinthis, exitum demonstrabit. Paupertas quã sit graue onus, ipse non ignorat, sed diuitem tamen pronunciat hunc pastorem, quod thesaurum in cœlo repositũ haberet in corruptibilẽ. Diuitiæ huius mundi spinæ sunt quibus semen illud immortale suffocatur, quare non molestè illis carere debemus. Et verisimile est his duabus, afflictione & paupertate retentum fuisse in officio ne lasciniret, aut mundi impostoris caperetur.

„ *ET blasphemiam* „ Addit tertio calumniã qua eum im-
„ petebant qui se falsò iudæos, hoc est ecclesiam dei vocabant, cum eorum impietas satis eos prodebat, non esse san-

ſanctum ſemen Abrahæ, ſed profanam ſynagogam Satanę, & vt ille in hiſtoria Suſannę ſemen Canaan & non Iudæ. Sanè ingenuus animus & bene ſibi conſcius, omnium malorum grauiſsimè fert calumniã: ſed ſatis eſſe debet pijs, quod Chriſtus beatos pronunciat, qui ſua cauſa omnes virulentas linguas in ſe armatas experiantur, & hîc ſatis eſſe admonet, quod blaſphemia hęc non à bonis orta, ſed à nefarijs hypocritis, quorum ſcelera pijs omnibus deteſtata erant, fuiſſe excogitata. Docet hic locus, vtile eſſe pijs paſtoribus, vt per afflictiones, paupertatẽ, & nõ nunquam etiam infamiam, Satanæ & organorum eius aſtu exſuſcitatem probentur, quibus eorum fides, conſtantia patientia, innocentia, melius aſſeritur, quam ſi beati per omnem vitam nullis aduerſis premerentur.

¶ Nihil metuas. &c. *Verſ.* 10.

POSTQVAM ſibi cognitos eſſe illius labores teſtatus eſt, ne quicquam fortuitò aut pro libidine aduerſariorum inflictum ſibi putet, vt dei præſidio munitum ſe fuiſſe ſentiret, ne hactenus in tantis afflictionũ procellis deficeret: aduerſus ſequentes tempeſtates eũ inſtruit & armat cõtra Satanæ odium, quod breui experturus eſſet acerbiſsimum. Eo enim progreſſurus eſſet furor diaboli, vt quoſdam è grege ſuo, in carcerem conijceret propter teſtimonium Euangelij, ſed hunc tamen illius furorem, diuina prouidentia ita moderandum innuit, vt non exitiũ quod Satã molitur, ſed tentationem, quę vtilis eſt filijs Dei, hæc tribulatio pareret. Videmus hîc, cuius auſpicijs eccleſiæ hoſtes ſęuiant in fideles, nempe diaboli, qui omnibus eorum operibus præeſt & in illis agit. Admonemur etiam qualibus armis cõtra ſpiritualem hunc hoſtem inſtrui debemus, nimirum ſpiritualibus.

ET habebitis „ Denarius in ſcripturis, iuxta phraſim hębraicæ linguæ, eſt plenitudinis numerus. Gen. 31. Nu. 14. Iob. 29. &c. ſignificat igitur eis quam diu in hoc mundo verſentur, non ſperandum eſſe afflictionũ finem, quãquam mitigat diuturnitatis moleſtiam, quod tempus illud

illud per dies designat non per annos, quasi dicat, paucis dieb⁹ dū in hoc mūdo viuitis, tribulationib⁹ eritis obnoxij, quibus exactis æterna beatitudine in cœlo fruemini.

EST O fidelis. &c. Videmus iam quem clipeū oppoēndū
„ suadet, his omnibus telis, nempe fidem, quam constan-
„ tem et inconcussam ad mórtem vsq; seruari præcipit, vt
vitæ ęternæ corona tandem ornetur. Docet non ægrè ferendas esse afflictiones, per breue huius vitæ curriculum cum perpetua felicitate sint remunerādæ, & fortiter pro Christi gloria oppetendam esse mortem, quam vita æterna compensabit, ignominiam vero non esse metuendam quæ ad gloriæ coronam nos perducat.

¶ *Qui habet aures. &c.*

Vers. 11. RVRSVM testatur spiritus sanctus, hanc esse vocē quæ pijs omnibus sit diligenter expendenda „ *Qui vicerit non ledetur à morte secunda* „ hoc est ab æterna damnatione liberabitur. Mors prima corporis est tantum, secunda corporis & animę. Insignis cōsolatio, his qui varijs calamitatibus in hoc mundo torquentur, quod post finitam morte ærumnosam hanc vitam, æternum victuri sint beati, nec vllo mortis metu miseri. Hæc enim vita mortalis, vel eo misera est, quod mortem semper impendentē metuit, non corporis modo, sed multò magis animę, nisi in his qui Christi morte retuso mortis aculeo, ad spem beatæ et immortalis vitæ vocantur.

¶ *Et angelo Pergamensis. &c.*

Vers. 12. PErgamus erat illustris ciuitas Phrygiæ, ad cuius episcopum tertia destinatur Epistola, cum hac præfatione quod ab eo missa esset, qui gladium ancipitem et acutū habeat, cuius doctrina nullam profanorum dogmatum commistionem ferre potest, sed perversas omnes sententias, tanquā pernitiosas pestes, ab ecclesia amputare solet.

¶ *Noui opera. &c.*

vers. 13. PRIMVM agnoscit Christ⁹, & probare se fatetur, quæcunq; ab eo bene gesta essent, nec tamē id obstare, quo minus liberè iudicet quid in eo reprehensione dignum ani-

animaduertit.

VBI habitas,, Quo graniora eum vndique pericula circumdabant, eo commendatior erat illius fides, & infracta animi constantia. Habitabat vbi thronus erat Satanæ, hoc est, vbi omnis pietas profligata, impietas vero summa regnabat. Vbi Satanas sedens quasi in regni sui solio, omnia pro sua libidine administrabat. Ibi vt omnẽ nequiciam ita etiam summam crudelitatem & tyranidẽ vigere necesse erat. In tantis periculis retinere liberam fidei confessionem, heroici spiritus erat, & planè diuinæ constantiæ argumentum.

ET non negasti fidem,, Confessionis huius constantiam, nulla abnegatione fractã fuisse testatur, ne tum quidẽ, cum maximè aduersus ecclesiam flagraret persecutio, eo nimirũ tẽpore, quo fidelis Christi testis Antipas crudeli mortis supplitio affectus esset, apud eos qui Satanę ductu & auspicijs tanquã lupi rapaces in gregẽ domini sæuiũt. Docet hic locus vbicunq; tyrannis & persecutio viget in sanctos dei, ibi nec Christi, nec Apostolorũ, sed ipsius Satanæ sedẽ esse agnoscendã, vt in ecclesia Romana. Deinde abnegationẽ quamuis in maximis periculis, non esse permissam Christianis, vt Pseudonicodemitæ asserũt. Postremo quam honorificam mentionẽ faciat Christus martyris sui iam interfecti, ne dubitemus, quam pretiosa sit domino mors eorum, quibus nece sua, dei gloriam illustrare concessum sit. *Verſ.* 14.

Sed habeo aduersum te. &c. *Verſ.* 15.

NON subticet Christus, quid in eo desyderet, nimirũ zelum illum quem in Ephesino cõmendauerat, quod non poterat sustinere improbos, præcipuè vero Nicolaitas, quorũ doctrinã sibi etiã odio esse dominus testatur. Hic vero talibus non tam viriliter & animosè restiterat.

RETINENTES doctrinam Balaam,, Vt eos magis odiosos redderet, doctrinam eorum confert, cum impia veteris Balami pseudoprophetę doctrina, qui prẽmijs illectus instruxit Balacũ, quibus machinis, oppugnari possit Israelitarum salus. Nempe vt prostitutis Madia-

dianitarum mulieribus, in fornicationem & Idololatriã pellicerentur quod & factum est, quemadmodum legimus Nu. 14. & 25. Eadẽ docebant Nicolaitæ promiscuos scilicet cõcubitus, & esum eorũ quæ idolis immolabãtur absque discrimine quouis, ex quo colligitur fuisse eos, vt fœdis libidinibus carnis ita etiã auaritiæ deditos, qui turpis lucri causa docerent quæ non oportet. Admonentur hîc pastores, ne ad errorũ magistros cõniueant, ne tũ quidem, quando sæuit maximè persecutio, periculum enim
Vers. 16. est, ne virus serpat latius, & synceras etiam oues depascatur. ¶ *Resipisce. &c.*

GRAVITER peccâsse eum fatẽdum est, quod ad pœnitentiam vocetur, idq; ea lege, vt nisi maturè in viam redeat, dominus ipse bellum contra eos, gesturus sit, & gladio oris sui, interfecturus. Hęc est enim vis illius verbi, vt quos ad saniorem mentem non reducat, ęternę maledictioni reddat obnoxios. Sed quæri potest, quid hoc ad Pastorẽ Pergamensem virũ orthodoxum, si dominus Nicolaitas hæreticos iusto supplicio afficiat. Immo ipsum etiam in eorum numero comprehendit, quandiu peccatis eorum per indulgentiã ac conniuentiam, cõmunicare non desinet. Nam ab eius manu sanguinẽ eorũ reposcet, si in illis vel corrigẽdis, vel ab ecclesia exterminandis, of-
Vers. 17. ficio suo defuerit. ¶ *Qui habet aures. &c.*

SEMPER hoc inculcat, vt sciamus consilium esse spiritus sancti, proponere doctrinam hanc omnibus non vni tantum homini vel ecclesiæ.

„ *VINCENTI dabo.* „ Quemadmodũ supplicia minatur verbi sui contemptoribus, sic & fidelibus qui omnium tentationum victores euaserint, præmia pollicetur: nempe quod mensæ cœlestis facti participes, pane angelico satiabuntur. Non manna illo, quod patres eorum per quadraginta annos, comederunt in deserto, & tamen fato functi sunt, sed viuifico illo pane qui è cœlo descendit, & vitam æternam omnibus qui eum comederint largitur, cuius figura tantum prius manna fuit & adumbratio.

tio. Et videtur alludere ad manna illud, in arca reconditum, quod dei iussu in multa sæcula seruatum, mansit incorruptum, cum tamen illud quo vescebatur Israelitæ, vel in crastinum seruatum, putresceret. Calculus albus in suffragijs ferendis designabant eum, qui in magistratū cooptandus esset: significat igitur per album calculum, quanto honore eum dominus afficiet, qui illecebrarum huius mūdi victor euaserit. Per nomen inscriptū, q̄ nemo intelligit, nisi qui calculū accipit, intelligo obsignatā fore in illius corde per arrhabonem spiritus, vitę æternæ certitudinē, de qua vnus quisq; sibi soli conscius est. Promittit igitur, nō tantum manna reconditū ad saturitatē, verum etiā perpetuā animi tranquillitatē, ob sensum misericordiæ diuinæ. Nouū nomen regenerationis gratiam significat, vt nouum nomē, nouo homini respondeat. Væ nostrę ignauię, si placentes nobis in huius sæculi delicijs, hæc tam ampla prędia vel cōtēnimus, vel parui pēdimus & instar Israelitarum, carnē nobis pro manna dari exoptamus, & ad dignitatem filiorum dei vocati, seruire malumus in Ægypto seruitutem omnium miserrimam.

¶ Et angelo ecclesiæ quæ est in Thyatyra. &c. *Vers.* 18.

QVARTAM Epistolam scribere iubetur, ad pastorem ecclesiæ quæ sit Thyatyræ: est hęc ciuitas Lydiæ. Prǫfatur autem Epistolæ huius auctorem, esse filium Dei, cuius igne collucentes oculos, nulla ecclesiæ labes fugere potest, cuius pedes chalcolibano similes, perfectionem ipsius viarum significant, nec vllas adulterinas mixturas admittunt.

¶ Noui opera tua. &c.

COmmendantur in eo multæ virtutes, sed aliqua tamē negligentię macula aspersę. Eleganter autem & concinnè dilectioni subministrationem, fidei patientiam, subiungit. Nam si vero amore fratres complectimur, veræ charitatis officia præstare eis non grauabimur. Et si viua fide in Deum respicimus, inflictas ab illo calamitates, propter ipsius gloriam patienter tolerabimus. *verſ.* 19.

„ ET *opera tua*. Quæ ex his nimirum virtutibus fluxerunt,
„ fide in deum, charitate in proximos. Non erat inane
„ fidei aut charitatis nomẽ, sed vera fide prẽditus erat, quę
per dilectionem operatur.

„ ET *nouissima plura primis*. Hoc reliquas laudes penè su-
„ perat, quod non vt Ephesinus, primam dilectionem
remiserat, sed indies magis magisq; crescceret in eo pie-
tatis studium. Quod licet exigatur ab omnibus, raros
tamen inuenimus, quibus contrariũ non vsu venit, nẽpe
vt aut non proficiant omnino, aut in deterius mutentur.
Summa igitur cura adhibenda est, vt imitemur hanc ec-
clesiam, & ministrum eius, ac operam demus, vt pro-
gressus initijs non solum respondeant, sed ea etiam su-
perent. ¶ *Sed habeo. &c.*

Vers. 20 ECclesiasticæ disciplinæ neclectus arguitur in hoc pa-
store, quod mulierculis impia docentibus, silentium
non imponeret. Vnde colligimus, officium esse ministri
compescere insolentiam eorum, qui docendi partes non
vocati ab ecclesia, arrogãter assumũt, multo magis pseu-
doprophetas, qui peruersa dogmata proponunt. Quẽ-
admodum taxatur hic minister, primo, quod mulierem
siue vna fuerit, siue plures esset, docere permittere, quod
ab ecclesiasticæ disciplinæ decoro abhorret: deinde quod
tam impia docentem toleraret. Vocat autem eam Iezа-
belem, quod ad exemplum sceleratę illius Achabi coniu-
gis, populum dementaret, atq; in errorem duceret.
Quæ licet spiritum propheticum suis impietatibus prę-
texeret, ex eo tamen agnita est, quod ad damnatam Ni-
colaitarũ doctrinam stabiliẽdam, nouas reuelationes cõ-
fingeret. Docebat enim hæc, cum illis, scortari & idolo-
thytis vesci. Nõ leuis erat hæc pastoris negligentia, quod
seruos dei, oues Christi, per incuriam in tantum errorũ
barathrũ prẽcipitari pateretur. Notemus hîc astum Sa-
tanæ, qui vt suas imposturas hominibus commendet, no-
uas reuelationes contra verbum dei comminiscitur. Sic
Simon Selenen, Apelles Philumenam, Montanus Priscã

&

& Maximillam, papiſtę ſuas Brigittas, & noſtro etiam æ-uo puellas vaticinatrices ſubornant, quemádmodum nuper in Cantio Monialem quandam Elizabetham Bartonam, omnes vt Euangelij doctrinam in ſacris Apoſtolorum ſcriptis traditam, nouis & impuris dogmatibus ſub ſpecie cœleſtium reuelationum adulterarent. Huiuſmodi igitur peſtes diligenter ſunt cauendę.

¶ *Et dedi ei tempus. &c.* *Verſ.* 21.

MIRVM eſt deũ opt. max. in tales blaſphemias & earum auctores illico non fulminare, ſimul ac proferantur, ſed admirabilis eſt eius lenitas, qua talibus etiam pœnitentiã agendi tempus concedat, quã cum contẽpſerint, ſicut arrogans hęc mulier feciſſe dicitur, tarditatẽ ſuam ſupplicij grauitate merito compenſat.

¶ *Ecce ego conijciam eam. &c.* *Verſ.* 22.

NON ipſam modo, ſed eos etiã qui adulterinæ ipſius doctrinæ aures, libenter accõmodãt, niſi matureſipiſcãt, minatur grauiſſimis ſupplicijs edoctos fore, quã non ſit impune hijs cœleſtem doctrinam diabolicis figmentis conſpurcare. Per lectũ exponit ipſe magnã afflictionem, & ſatis congruit metaphora, nam vt adulteri lectos habent fœdis voluptatibus (quas pro maximis habent delicijs) inſeruiẽtes, ita cõiecturus eſt eos dominus, in maximarum miſeriarum lectũ, vnde ſine vltimo exitio, non poſſunt exurgere.

¶ *Et liberos eius cum. &c.*

FILII prophetarum diſcipuli eorum vocantur. Hæc itaq; quę prophetiſſę nomẽ ſibi arrogabat, ſuos habebat diſcipulos qui hic liberi appellantur, hos dominus morti adiudicat, & extremo ſupplicio affecturum ſe pronunciat. Adeo vt omnibus eccleſijs manifeſtũ fiet, quod nulla hypocriſis Chriſtum fallere poſsit, qui in intimos vſque renum & cordis receſsus penetrat. Voce id verbis que forſan agnoſcant omnes, ſed multi craſsa ſimulatione adeo ſibi indulgent, vt diuinum etiam iudicium effugere ſe poſſe ſperent, ideóque ad omnẽ impietatem frena *Verſ.* 23

sibi laxant. Sed cum vnicuique iuxta opera sua, mercedē quam se redditurum promittit deus, tandem persoluet, sentient quā horrendū sit, gratiā sibi oblatam respuere, & in maleficiorum suorū consueto tramite ad finem vsq; perseuerare. Cœterū de meritis operū bonorū, nihil hinc colligi potest, est enim longè diuersum, deū vnicuiq; mercedē redditurū iuxta opera sua, ab hoc, quod volūt papistæ, deū operū merita in iustificādo homine respicere.

¶ Vobis autem dico reliquis. &c

Vers. 24. FVISSE apparet in hac ecclesia permultos, qui nō modo nō fauebāt impiæ huic doctrinæ, verū etiam eā omnibus modis oppugnabant. Hos non inuoluit Christus, eodem cum reliquis scelere, sed hortatur tantū, vt fidei simplicitatem apud se, nullis nouarū reuelationū figmētis corrumpi sinerent, quantūlibet eorum auctores, nihil aliud quā sublimia dei mysteria creparēt, quæ tamē profunda Satanæ dici meruerūt. Nisi forte profunda Satanæ (vt verba sonant) arcana suæ scientiæ ipsi vocarent, quod eodem redit: certè alio respexit Paulus, cum profundas Satanę cogitationes, sibi non ignotas esse diceret.

¶ Verum quod habetis. &c.

Vers. 25. MONET vt tradita sibi ab apostolis doctrīna contenti, noua dogmata non admittant, sed eam vsq; ad illius aduentum retineāt, & sacrosanctā colant. Quicquid igitur Romanus antichristus, alijque hæretici, in ecclesiā inuehere conantur, quod constat non traditū esse ecclesijs ab apostolis, tāquā aliud onus, quo nos grauari non vult dominus, fortiter respuamus.

Et vincenti ac seruanti vsque ad finem opera mea. &c.

Vers. 26. & 27. OStendit qui tandē victores euadent, nō qui ad tempus fortiter in acie steterint, & postea succubuerunt, sed qui ad finē vsq; belli militia functi sint. Et sua opera opponit Christus, operibus Nicolaitarū, quēadmodum doctrinā doctrinæ. Nā vt ex vera doctrina, bona fluunt opera, ita peruersa dogmata impura opera sequi necesse est.

Præmium

Premium verò quod varijs figuris circumloquitur est tamen vnum, & idem pijs commune: nimirum sui ipsius participationem. Sic cum Christus nos in partem regni sui, sibi hæreditarij, vocat, quę sua sunt nobis largitur omnia, quippe qui vnũ cum ipso corpus efficimur. Promittit igitur imperium in gentes, idque tantæ potentiæ, vt rebelles & contumaces, ferreo sceptro regemus, & tanquam vasa fictilia comminuemus. Hoc est cunctis hostibus debellatis, ac in nihilum redactis omnibus aduersariorum minis, tranquillè sub Christo capite nostro cœlestis regni possessione fruemur.

¶ *Quemadmodùm ego accepi &c.* *Vers.* 28.

QVÆCVNQVE Christus à patre, humanæ naturæ ratione accipere dicitur, ea non sibi sed nobis accipit. Est quidem ille Lucifer, qui in cordibus nostris exoriens, omnes cæcitatis tenebras dispellit: sed nos quoque tanquam matutinæ stellæ, imo tãquã sol ipse in regno suo cœlesti, illius beneficio fulgebimus, vtcunque diabolus & ministri eius, infinitis calumnijs, ac mẽdacijs innocentiam nostram opprimentes, nomen nostrum obscurare nituntur.

¶ *Qui habet. &c.* *Vers.* 29

AD singulas admonitiones hoc repetit, ne eas temere effluere sinamus.

Caput. III.

Vers. 1. QVINTA EPISTOLA AD ANGElum eccleſiæ quæ in Sardis erat, deſtinatur. Vbi imprimis operæpretium eſt animaduertere, quod licet corruptiſsimus eſſet illius ſtatus, vt tota ferè mortua dici mereretur, eccleſiæ tamen nomine ab ipſo Chriſto inſignitur, aduerſus fanaticos quorundam errores, qui nuſquam agnoſcunt eccleſiam, vbi aliquid ſit quod eis ex omni parte non arrideat. Contrà vero Romanenſes nihil maiori contentione efflagitant, quam vt eccleſiæ nomen eorum cætui per aliquot ſæcula, quibus ferè ſepulta erat veritas, concedamus. Quod ſi propter paucos, quos cõſtat ex illa colluuie ſeruatos, eis attribuere remus, nihilo ſecius cum Chriſto diceremus, habes nomen quod viuas, cum reuera mortua ſis. Non enim illico „ rectè ſe habent omnia, vbi eccleſiam agnoſcere poſſumus. „ *QVI habet ſpiritus Dei* „ Hæc etiam præfatio vt reliquæ, optimè congruit cauſæ, quæ in epiſtola tractatur. Nam res erat ei cum paſtore & eccleſia, quã mortuam eſſe queritur, ſolo autem Dei ſpiritu vita omnibus ſubminiſtratur. Qui igitur Dei ſpiritum, quod in illis erat, penè extinxerant, ad eum confugere debuerant, qui ſolus eum petentibus largitur. Chriſtus enim, à patre ſuo, ſpiritum ſanctum in eccleſiam mittit, quemadmodum teſtatur ipſe ſæpius Ioan. 14. 15. 16. De numero ſpirituum ante diximus Cap. 1. 4. Quod etiam, ſeptem ſtellas manu ſua ſuſtineat, admonet paſtorem, non potuiſſe eum hactenus in vlla ſaltem vitæ parte hærere, quin pœnitus intermoreretur, niſi eum Dominus ſua virtute ab extremo interitu ſuſtinuiſ- „ ſet.

„ *NOMEN habes quod viuis* „ Cenſeris in numero eorum qui deo viuant, & mundo renunciauerunt, cum tamen ſæculo & tibi viuas, deo tanquã mortuus habe-

beris. Nam si vidua quæ in delitijs viuit, viuens mortua Paulo dicatur, quanto magis pastor ecclesiæ, qui spiritualem vitam per verbi prædicationem, alijs quodammodo inspirare debet, pro mortuo haberi debet, nisi diabolo, carni, & omnibus mũdi illecebris renuncãs, totã vitã ad Christi obsequium formet. Et nos tamen interea, modo nomen habeamus quod viuimus, securè voluptatibus indulgemus, mundo viuimus, Christo mortui sumus. Nisi enim renouatur in nobis dei imago, frustrà gratiã Christi obtendimus, quæ non est ociosa in hijs quos verè cõplexa est. Nec enim Christũ à spiritu suo discerpere debemus. Spiritus autem non potest non efficaciter agere in hijs quos Christus ad nouam vitã per regenerationis gratiam vocauerit. Admonet hic locus quantum periculũ imminet ecclesijs, à semimortuis pastoribus, cũ lues ab vno in totum ferè gregem grassari solet. *Vers.* 2.

¶ Sis vigilans. &c.

INDICAT hæc admonitio, non pœnitus mortuũ fuisse ministrum hunc, sed quasi lethali somno oppressum, sed nisi maturè succuratur, iam iã spiritũ redditurum fuisse. Suadet igitur vt ex hoc lethargo, quamprimum euigilet, & reliqua quæ iam moritura erant, in vitam reuocare studeat, quasi diceret, tam propinquum esse exitio, vt quędam illius membrorum, mors iam occupauerit, totũ vero corpus proximum esse vt deficiat, ni quam primum veternum hunc excutiat. Quod euigilare iubet, significat nihil minus ecclesiæ pastorẽ decere, quam vt somno indulgeat, quẽ perpetuas in gregẽ excubias agere cõuenit.

NON enim. &c. Qui se opera illius nouisse prius dixerat, nunc palam indicat qualia sint: nẽpe mutila, manca, imperfecta, & quæ interiorem eius hypocrisim prodant. Nam vtcunq; specioſa in conspectu hominum apparebant, corã deo tamẽ deprehensa sunt imperfecta. Sed annõ optimorũ etiã opera (quã diu carnis ĩbecillitate sũt circũdati) sunt imperfecta? fateor, sed hic integritatẽ dico opponi hypocrisi, nõ pfectioni quę omnes leges

diuinæ numeros adimplet.

¶ *Recordare igitur. &c.*

Verſ. 3. MEDICINAM adhibet morbo conuenientem, ſomnus diuturnior obliuionem induxerat. Iubet igitur reuocare in memoriam, doctrinam quam acceperat, & audiuerat atque eam retinere, & pœnitentiam agere eorum quæ contrà eam commiſſa erant. Docemur hîc obliuionem cœleſtis doctrinæ, mortem hanc animæ in quã inciderat, peperiſſe, vt non mirum ſit, ſi vbi prorſus ſilet (vt in papatu) ibi pietas omnis intermoriatur.

" *NISI enim euigilaueris. &c.* Qui alto ſomno oppreſſi ſunt, non niſi magnis clamoribus exitan-
" tur, iiſque ſæpe repetitis. Rurſum igitur euigilare iubet, nam ſi pergat ſomno indulgere, futurũ vt Dominus graui vindicta, eum nec opinantem feriet. Et non ſecus ac fures, eorum ædes qui altum dormiunt occupare ſolent, eoſque nihil tale ſuſpicantes interficere, interfectos omnibus bonis ſpoliare: ita minatur Chriſtus aduentũ ſuum fore illi incertum, quem ſi vigilantia & pœnitentia non præuenerit, pœnitus actum eſſe de æterna illius ſalute.

Verſ. 4. ¶ *Habes pauca nomina. &c.*

INCREPATIONEM hanc nõ ad ſingula eccleſiæ mẽbra, ſed ad plurima pertinere, his verbis oſtendit. Nam paucos eſſe fatetur, etiam nomine ſibi notos, qui ab his ſceleribus perſtiterant immaculati. Horum paucitatem Chriſtus non cõtemnit, imo pluris facit duos aut tres, qui eum ſyncerè colunt, quam infinitam mundi multitudinem qui eius mandata ſpernunt. Præſtat igitur vnum eſſe ex paucis illis, quorum innocentiã ſibi probari Chriſtus teſtatur, quam ex numeroſa turba eorum, quos in ſuis libidinibus deliciantes dominus reputat pro mortuis.

" *QVI non polluerunt veſtimenta ſua.* Huius metaphoræ ra-
" tio eſſe videtur, quod qui Chriſto nomina in baptiſmo dederint, Chriſtum induerunt, hoc eſt, iuſtitiã profeſſi ſunt, quam veſtem prauis concupiſcentijs & operi-

bus

bus tenebrarum fœdè conſpurcant, quotquot tanquam canis ad vomitum, aut ſus ad volutabrum cæni, ad priſtinam carnis conuerſationem redeunt.

ET ambulabunt mecum in albis „ Non defuturum pijs integritatis ſuæ præmium pollicetur. Nam vt non communicauerunt cum impiorũ ſceleribus: ita ab eorũ ſupplicijs erunt immunes.

QVIA digni ſunt„ Quia æquum eſt vt qui piè & incorruptè vitam egerint, promiſſam ſibi in Chriſto iuſtitiæ mercedem recipiant. Non enim hîc de operum meritis diſſerit, quæ ne ipſi quidem papiſtæ ex condigno iuſtificare aſtruunt, ſed nec de meritis ex congruo, quia tota hæc dignitas pendet ex promiſsionibus Dei, illæ autẽ in gratuito ipſius in Chriſto pacati fauore, ſunt fundatæ. Opera enim bona nec noſtra ſunt, ſed dona dei, nec bona abſolutè quatenus noſtra ſunt, ideo nullũ poteſt eſſe meritum noſtrum ex illis. Porrò conſolatio hæc eſt inſignis fidelibus, qui in eo cœtu viuunt, vbi plurimorum ſceleribus vltionem diuinã aſsiduò prouocari vident, vt bono ſint animo, quod eos nolit dominus permiſcere impijs in pœna, quibus non conſenſerint in culpa.

¶ *QVI vincit induetur. &c.* *Verſ. 5.*

TAM illi qui ex pernicioſo ſecuritatis ſomno victores emerſerint, & pœnitentiam egerint, quam qui ab illo veterno nunquam victi ſunt, innocentiæ ac victoriæ præmia, & verè beatitudinis ſymbola, candidas veſtes accipient.

ET non delebo„ Hoc eſt æternæ vitæ coronam ſuſcipient, ſed propter eos qui hinc ſanctam Dei prodeſtinationẽ euertere molientur, intelligere debemus, duplicem in ſcripturis commendari librum vitæ, alterũ electionis, alterum vocationis, de priore Paulus ad Philippenſes. 4. v. 3. & Ioannes huius prophetiæ Cap. 13. v. 8. & c. 20. v. 12 & 21. v. 27. de poſteriore Pſalmiſta, cum dicit deleantur de libro vitæ, & cum iuſtis non ſcribantur, & deus ad Moſem, delebo eos de libro qui peccauerant aduerſus me

Exod.

Exod. 32. de quo etiam hic locus nō incommodè poteſt intelligi, quaſi dicat meriti ſunt ſuis flagitijs, vt eos è libro vitæ expungam, tamen ſi pœnitentiam egerint, primam eorum vocationem non faciā irritam. Nam quod ad electionem attinet, infinitis ſcripturæ teſtimonijs docemur, ſemper manſuram immutabilem. Multi autem vocati ſunt, pauci verò electi.

„ *ET confitebor nomen eius &c.* Si quē Chriſti non pudeat
„ in terra, eius nec pudebit Chriſtum in cœlo. Conſola-
„ tur enim fideles, quos mundus ſemper habuit diſpectui, eos tamen Chriſtus promittit agniturum ſe pro ſuis, coram patre & angelis, modo inuiolatam fidei cōfeſsionē ad finē vſq; retineant. ¶ *Qui habet. &c.*

Verſ. 6. CVM toties occurrit hæc ſententia, docet non oſcitanter præteriundas eſſe has admonitione quas adhibet dominus eccleſijs. ¶ *Et angelo. &c.*

Verſ. 7. IN ſexta epiſtola Philadelphienſis eccleſię paſtor laudatur, & aduerſus imminētia pericula conſolationem accipit. Primum itaq; præfatur ea Chriſtus, quæ ad hūc Antiſtitem confirmandū, ſint aptiſsima, ſe eſſe ſanctū & veracē: Sanctū, quod deo patri inſolidum conſecratus, totam eccleſiam corp° ſuum ſanctificet, vnde à patre nobis factus eſſe dicitur ſanctitas, iuſtitia, redēptio. Veracē nō ſolū quod à mēdacio & ſimulatione, cui obnoxniū eſt omne genus humanū, ſit alieniſsimus, vnde & ipſa veritas dici meruit, verū etiā quod ſol° verā annunciat doctrinā, vt agnoſcat hic paſtor, cui° beneficio verā doctrinā ſit amplexus, & in ſanctorū dei numerū cooptatus, Chriſti nimirum, qui ſanctus eſt, & verax. Quid hic Romani præſules reſpondeant quod ſibi ſanctificandi partes arrogant, quod ſe errare non poſſe gloriātur, quod pontifex ipſe non modo ſanctū, ſed etiā ſanctiſsimū, & ipſam ſanctitatem appellari ſe patitur? Annon blaſphemi ſunt in Chriſtum qui ſolus ſanctus eſt & verax?

„ *QVI habet*„ Qui plenam poteſtatē habet, ſuper domū
„ Dauid, id eſt, eccleſiam ſuā, qui ſic miniſtri ſuis cla-

ues

ues regni cœlorum conceſsit, vt ſibi tamen eas retineat: qui eccleſiæ regimen paſtoribus ita commiſit, vt ſibi interim auctoritatem non abrogaret. Ne enim ſub clauium prætextu, quidlibet pro arbitrio ſuo ſtatuendi in eccleſiam imperium arrogarent præſules, ſe ſolum præfatur habere clauem Dauid & aperire & claudere pro ſuo arbitrio, tanquam dominum, cui nemo mortalium ſiue claudat, ſiue aperiat, ſe opponere poſsit. Quãuis enim paſtorum ſententię in cœlo ſubſcripturum ſe promittit, ſi quid ſoluerint aut ligauerint in terra, hoc tamẽ ita intelligendũ eſt, cum homines Dei iudicium non ſuam libidinem pro decreto in medium proferant. Quod vero ad Philadelphienſem hunc attinet, vel ex hac præfatione admoneri debuit, quod qui Chriſti auctoritate, cui nihil in cœlo aut terra reſiſtere poteſt, ad eã in eccleſia functionẽ vocatus ſit, eius etiam virtute in obeundo munere adiuuabitur, & ab hoſtiũ quorũlibet impetu immunis ſeruabitur. ¶ *Noui operatua. &c.* *Verſ.* 8.

AGNOSCIT Chriſtus opera illius ſibi placere, quod vice ſtimuli, eſſe potuit, vt alacriter in curſu ſemel cœpto pergeret. Quod enim maius præmium optare debem⁹? quã ſi deo aliquid gratũ acceptũq; facere poſsim⁹.

ECCE ego dedi coram te oſtium „ Paulus hac metaphora „ vſus eſt, cum vellet oſtendere, magnam ſibi ſpem Euã- „ gelij propagandi eſſe propoſitam. 1. Cor. 16. Et pulchrè congruit Chriſtum aperire nobis regni cœleſtis ianuam, cum aditũ ad fidẽ per euangelij prędicationẽ concedat.

ET nemo poteſt „ Innuit futuros eſſe hoſtes, qui Euange- „ lij curſum impedire ſatagent, ſed fruſtrà ſe torque- „ bunt. Nam inuito diabolo & angelis eius, oſtium apertũ eſt quod nulla vis inimica claudere valebit.

QUoniã parũ virtutis habes, „ Synceræ affectionis argumẽ- „ tum, quod penè ſupra vires, quas Chriſtus fatetur „ eſse exiguas, infractũ ſe præſtiterit in vera ac liberrima fidei confeſsione. Non enim ſemper qui maioribus à deo donis ornatus eſt, ad id idoneis, maiori ſtudio pollet ad Euangeliũ ornandũ. Videas enim plures qui doctrina & lingua-

linguarum peritia excellant, frigent tamẽ ac penè torpẽt in verbi diuini promulgatione: cum interim, mediocri ſcientia præditi, in meſſe domini ſtrenuè deſudent, quorum laboribus, vt hic cernere eſt, Chriſtus ipſe vberius benedicere dignabitur. Hic etiam locus Pſeudonicodemitas contundit, cum non alios ſermonẽ Chriſti ritè ſeruare poſſe docet, niſi qui nomen eius nunquã abnegent.

Verſ. 9. ¶ *Ecce do quoſdam ex ſynagoga Satanæ. &c.*

LABOREM & conſtantiam eius hucuſque profeciſſe oſtendit, quod quoſdam è diaboli faucibus ſtudio & diligentia ſua erepturus eſſet. Nam ex eorum numero, qui falſò Iudæi cognominari volebant, cum tamen eſſent ſynagoga Satanæ, quia eccleſiam dei omnibus modis perſequerentur, quoſdam venturos eſſe dicit, qui ſupplices veniam ſcelerum ſuorum deprecaturi eſſent, & ſerió agniturí, quam charus is deo extiterit, quẽ illi tanto odio hactenus vexarent. Vix enim meo iudicio, cõmodè exponi poteſt de contumacibus qui inuiti ad hanc confeſsionem adigentur. Illud enim non ad quoſdã redigi debet, ſed ad omnes impios pertinet, qui ſunt ſynagoga Satanæ. Niſi forſitan eos præcipuè ex tota illa colluuie notare voluit, qui huic Paſtori præ alijs erant infenſi, quos tandem ad ſeram pœnitentiam & ſcelerum ſuorum agnitionem cogendos diceret.

Verſ. 10. ¶ *Quia ſeruaſti. &c.*

NVNQVAM fruſtrabitur eorum ſpem Chriſtus, qui eius auxilium patienter expectauerint. Promittit enim liberationem è maximis periculis, quę orbi terrarum propter flagitia impendebant, quia illius fides & cõſtantia, multis experimentis probata, & ſibi & mundo ,, ſatis teſtata fuerit.

,, SERMONEM *patientiæ*,, Quẽadmodũ hic paſtor doctrinã patientiæ, quã Chriſtus à ſuis exigit non paſsus eſt effluere, ſed eam in grauiſsimis tentationibus retinuerit, ac reuera factis expreſserit: ita promittit Chriſtus loco ampliſsimi præmij, quod eum viciſsimi è multo acer-

terrioribus calamitatibus, quæ paulo post orbẽ terrarũ apprehensurę essent, per suam misericordiam seruaturus esset. Horam tentationis nominat, ad docendum, quod statutis à deo afflictionum temporibus, mortales castigentur, vt frustra ex illis se eripere molientur, qui determinatum ab ipso finem patienter nõ expectauerint. Porrò tentationes vocat afflictiones, quod homines prodãt quales sint. Reprobi enim fremunt, tumultuãtur, vel desperant, & semper illicitas effugiendi vias excogitant. Pij contrà potentem domini manum agnoscunt, cui se patiẽter submittunt, vel si maximè dolorum impatientia victi, per inhonestas rationes euadere cupiunt, non tamen fremunt aut insurgunt aduersum Deum.

¶ *Ecce venio cito. &c.* *Vers.* 11.

HOc eximiæ cõsolationis loco additur, ne diu differendum esse liberationis suæ tempus metuat, & vt quicquid restat certaminis animo æquiore sustineat. Multum enim momenti habet ad suadendam nobis patientiam, cum breui finiendum laborem intelligimus. Ergò toties spiritus sanctus in scripturis breue certaminis nostri tẽpus ob oculos ponit, vt fortius dimicemus, & laborem patienter toleremus.

RETINE *quod. &c.* Tantum inquit doctrinæ simpli- ,,
citatem retine, & in vitæ integræ cõuersatione pro- ,,
gredere: noli committere vt qui hactenus strenuè in Euãgelij causa pugnaueris, nunc tandem in extremo actu deficias, & victoriæ coronam quæ paulo post capiti tuo à Christo agonotheta imponenda esset, succumbendo amitttas.

¶ *Vincentem faciam. &c.*

SOLEBANT hijs qui in hostili prælio rem bene gesserunt, & victores euaserant, statuas & columnas cum inscriptionib⁹ ponere, tã vt se gratos exhiberẽt hijs qui labores tãtos, pro salute patriæ sustinuissent, quã vt alios ad imitãdas eorũ virtutes excitarent. Christus vero athletas, *Vers.* 12.

suos

ſuos columnas faciet, non in foro aut cápo Martio, ſed in ſacro dei ſui templo, hoc eſt eccleſia triũphante, quo participes fiant omnium bonorum, quibuscunque Dominus eccleſiam ſuam dignabitur. Et cum principum ſtatuæ aut monumenta, vel per inuidiam ſuccedentium ipſis principum, vel per furorem populi, non rarò deijciantur: victorem hunc tam ſolida baſi in ſeipſo qui eſt templi fundamentum Chriſtus inſerendum promittit, vt nunquam inde euelli aut eijci poſſet. Præterea columnæ triplicẽ inſcriptionem aſsignat, primam nomins Dei, per quẽ deo cõſecrata eſse cenſetur: Secundã nouæ Hieroſolymæ quę è cœlo deſcendet, qua ius cœleſtis illius ciuitatis, ei competere docetur: Tertiam quæ eſt nouum nomen Chriſti quod illi propter ſummam humilitatem & obedientiam vſq; ad mortem tributũ eſt, ſupra omne nomẽ, vt in nomine Ieſu flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Huius nominis inſcriptione Chriſtus colũnam hanc in gloriæ ſuæ participationem aſseret. Vnde admonemur, Chriſtum ſolum eſse qui nos Deo patri in ſacratas templi columnas conſecret, Chriſtum ſolum eſse, qui nos cœleſtis Hieroſolymæ ciu tate donet, Chriſtũ denique ſolum eſse, qui nos ad regni ſui conſortium vocet, ei igitur fortiter militare debemus, vt tanta victoriæ ornamenta adipiſcamur.

Verſ. 13. ¶ *Qui habet aures. &c.*

DIGNA ſanè vox quæ ſemper in cordibus & auribus noſtris perſonet, vt ſirenijs mundi huius vocibus contemptis, ad prælium fortiter nos accingamus.

Verſ. 14. ¶ *Et angelo Laodicenſis Eccleſiæ. &c.*

VLTIMA epiſtola ſcribitur ad tepidum Antiſtitẽ Laodicenſis eccleſiæ, cui conueniens admodum præfatio adhibetur, quemadmodũ omnibus reliquis. Nempe quod dictata ſit ab eo, qui eſt, Amen, id eſt conſtans, & nõ fucata veritas, quemadmodũ Paulus dicit, omnes Dei promiſsiones in Chriſto eſse etiam & Amen. 2. Cor. 1. qui ſit teſtis fidelis & verax, & ideóque claudicationem in vtrãque

que partem ferre nō posit. Vt enim verè & fideliter traditam sibi à patre legationem exposuit, ita tales etiam ministros exigit, qui totis viribus in hoc incūbant, vt euangelij dignitas & auctoritas supra omnia emineat.

PRINCIPIVM creatura Dei,, Sermo ille per quem ,,
omnia facta sunt, cui omnes creaturæ suam obedientiam in solidum præstare tenentur, nec partem mundo, partem sibi ipsis, illius obsequij quod ei debetur, vllo modo largiri debent. Maledictus enim qui facit opus Domini necligenter, quē toto corde, tota anima, totis viribus, colere ac venerari debemus, nec quicquā prætexere, quo fas sit ab illius obedientia nos vllo modo subtrahere. Renunciat enim eius obsequio, quisquis se totū ei non sub- *Vers.* 15.
ijcit, qui mutilatum obsequium nunquam admittit. *& 16.*

¶ *Noui opera tua. &c.*

OPORTET nos esse (vt testatur Paulus) spiritu feruentes, hoc est, toto animi ardore, ad Christi gloriam illustrandam intentos. Meritò igitur reprehenditur huius pastoris & ecclesiæ tepiditas, quod neque zelo quo debuerunt arderent ad Dei gloriam vindicandam, nec frigidi prorsus in ea aserenda essent. Sed hunc teporē odio sibi esse Christus pronunciat, adeo vt stomachus illius tā praui succi cibos ferre non possit, quin euomeret. Quod enim sibi blandirentur quasi egregiè functi essent officio Christianorum, si professi hostes non essent illius nominis, sed eius doctrinam quatenus forsan eis commodum esset, profiterentur & agnoscerent: frustra hoc fieri Christus ostendit, quia nisi se totos ad illius verbi obedientiā componerent, in corpore illius quod est ecclesia, tāquam membra eius, non essent permansuri, sed cum summa eius detestatione reijcerentur. Quod optat vt vel frigidi essent vel calidi, non intelligit vllo modo sibi placere frigidos, sed tantum abesse à probandis tepidis, vt malit esse frigidos id est apertos inimicos. Plus enim nocent qui sub aliqua religionis specie se insinuant, ad fidem simplicium subuertendam, quam qui apertis conuitijs, nomen Chri-

sti lace-

ſti lacerant, à quibus facile cauent omnes. Mirum nī hīc Chriſtus ſpiritu prophetico noſtrarum eccleſiarum conditionē ſub Laodicenſis epiſcopi figura expreſsit, & nihil magis metuendū, quā ne horribiles iſtas minas ad nos etiā ſpectare, magno noſtro malo tandem intellecturi ſimus. Simili metaphora vſi ſunt Ioſue & Helias, cum populum in vtrāque partem claudicare vetant, & vel Iehouam vel Baalem ſolum ſequi iubent.

¶ *Quia dicis quod diues ſum. &c.*

Verſ. 17. NON modo Zelus in eo omnis extinctus erat, quod malum eſt, ſed fœda inſuper hypocriſi laborabat, q̄ peſsimum eſt, & ferè ſemper accidit, vt qui vix tepent in cultu dei promouendo, & fidei confeſsione, magnos ſe tamē veritatis antiſtites & acerrimos fidei propugnatores eſſe iactitent. Vt hic paſtor ſe diuitē eſſe gloriatur, nec hoc contentus, auctas ſibi in imēnſum opes iactitat, adeo vt nullius rei indigus, omnibus ad ſatietatem abundet. Cum interim eſſet Chriſti iuditio omnium miſerrimus & pauperrimus, imo mēdicus, cœcus, & nudus. Videmus vt Chriſtus eos omnibus bonis ſpoliet, qui ſibi diuitias & copiam rerū omnium arrogant.

¶ *Conſulo tibi. &c.*

Verſ. 18. IAM ne deplorata prorſus videatur huius paſtoris cōditio, eum ad pœnitentiam hortatur, & primo agnoſcēdum ſuam ipſius inopiā, vt veras diuitias in Chriſto inueniat, qui ſuadet vt à ſe aurum igne probatū, id eſt precioſiſsimum mercetur, hoc eſt, bonorum omnium affluentiam ab eo petat, qui non pecunia, ſed gratis eam vendit, hijs tamē quibus nihil charius eſt, Chriſti gratia. Nā qui agrū illum in quo theſaurus reconditus eſt, qui margaritam illam omnium pulcherrimam mercari velit, non debet inſtitorum more licitari, ſed omnia quę habet vendere, vt tātis theſauris potiatur, hoc eſt, alia omnia nihili æſtimare modo diuitias gratiæ Chriſti poſsidere illi concedatur.

„ *ET veſtimēta alba.* Nā nudus erat, adeo vt deo & angelis

con-

conſpicua eſſet turpitudo eius, donec Chriſti iuſtitiam & innocentiã indueret: qua fœditate eius obtecta, pulchrè ornatus, in Dei conſpectum prodire poſsit.

ET collyrium. &c. Ad has omnes calamitates acceſsit cœcitas tanta, vt cũ omnium bonorum inops eſſet, mendicus, turpis, nudus, nihil tamen horum animaduertere potuit, quo minus ſe beatiſsimum eſſe putaret. Eſt enim cæca ſemper hypocriſis, & iuſto Dei inditio caligo hæc eorũ oculis inducitur, vt cum ſecurè Deo & hominibus illudere ſe credant: ipſi ſe adeò fallant, vt moriantur interdum anteque ſe ægrotare ſentiant, & cum nudi atq; omniũ oculis expoſiti ambulent, egregiè ſe ornatos credant. Talibus opus eſt collyrio quo oculos inungant, vt ex illis tenebris emergãt. Significat metaphora, nos Chriſti ſpiritu illuminatos, clarè omnia perſpicere, alioqui nõ plus videre, in his quæ ad æternam ſalutem pertinent, quam truncos aut lapides.

Ego quos diligo caſtigo. &c. *Verſ. 19.*

VT locum miſericordiæ ſibi reſtare intelligat, ſi ſerio animi affectu, ad Deum reuertatur, indicat ab amore paterno, nõ odio hoſtili, profectam hanc eſſe reprehenſionem. Deus enim quos maximo amore proſequitur: non verbis ſolum increpat, ſed plagis interdum caſtigat, ſic enim petulantiam noſtram coercet, quæ niſi his frẽnis cohiberetur, ad noſtrũ ipſorũ interitũ, ſecuri rueremus. Debemus igitur plurimũ miſericordię diuinæ, cum nos ferulis potius caſtigare, quam gladijs occidere mauult, q̃ non aliunde, quam à paterno eius in nos amore proficiſcitur. Quod vero ad paſtorem hũc Laodicenſem attinet hęc duo ab eo exigit, primũ vt præteritæ ignauię & oſcitantiæ pœnitentiã agat, deinde vt in poſterũ zelo maiore ad Chriſti gloriam aſſerendam incendatur, & imitetur Dauidem, quem zelus domus Dei penitus abſumſerat, omnes denique ſanctos Dei qui non aliter ſe Deum ex animo colere & amare oſtendunt, quam ſi in vin-

dicanda nominis ipsius gloria, toti zelo ardeant. Tepidos enim nullo modo ferre potest, vt Paulo ante accepimus.

Ecce sto ante ostium & pulso. &c.

Vers. 20. INCREDIBILIS Christi amor erga ecclesiam, qui tanto zelo de eorum salute sollicitus est, qui nullo prorsus studio eius gloriæ illustrãdę flagrant. Verbũ græcè est præteriti temporis, quo significat se iamdudũ expectare vt ex animo resipiscerent, & gratiam eius in corda admiterent. Porrò hic locus satis luculenter docet, non posse nos Christũ suscipere, priusquam ille se nobis vltrò recipiendũ offerat.

INGREDIAR ad eum & cœnabo cum illo &c. Miradomini lenitas & clementia, qui illatas sibi à seruo iniurias tam libenter ignoscit, vt omnium iniuriarũ oblitus, vltrò veniam offerat, & in signum perfectæ recõciliationis cœnã cum eo benignè celebraturus sit. Solent enim homines tali symbolo disruptas amicitias inter se resarcire. Christus verò quos ad mẽsæ suę participationẽ admittere dignatur, (dignatur autem omnes fideles) spiritualibus lautitijs animos eorũ pascit, quibus ad vitã æternã nutriẽtur, gratuita nimirũ iustitia, animi trãquillitate, & ineffabili gaudio quo pij epulãtur in spiritu sancto, cuius etiã tesseram dedit omniũ pulchetrimã, sacrã corporis & sanguinis sui cœnã, quã fide suscipientes, eũ in nobis perpetuò habitantem habemus.

¶ Qui vicerit. &c.

Vers. 21. QVI ad finem vsque fidelis perstiterit, & zelo ardenti Christi gloriam promouerit, eum Christus ad gloriæ cœlestis participationem admittit, & quemadmodũ ipse pro victoriæ suæ prẹmio ad dextrã patris in throno magnificentię consedit, ita eos qui aduersus Satanam & mũdum victoriam per fidem consequentur, ad throni sui altitudinem extollet. Efficimur enim per fidem hæredes dei, cohæredes vero Christi.

Qui

¶ *Qui habet aures. &c.* *Vers.* 22.

CONcludit hanc primam visionem, cum hoc familiari sibi epiphonemate, dignam esse hanc spiritus sancti doctrinã, quę omnium Christi fidelium animis infigatur, atque ibi perpetuò hæreat, vt debitũ in nobis consequatur effectum, per Christum dominum nostrum cui honor & gloria. &c.

¶ Caput quartum.

VISIO SECVNDA OCTO SEQVENtibus capitibus continetur, quib⁹ ecclesiæ conditio qualis ab illis temporibus, ad mundi vsque finem futura sit, ad vium depingitur. Prima vero huius visionis pars, quæ quarto hoc capite cõpræhenditur, diuinæ maiestatis & gloriæ descriptionẽ continet, in qua docentur fideles, non esse succumbendũ in maximis periculis, quæ admirabili illius consilio reguntur, cui salus & incolumitas ecclesiæ, imprimis curæ est. Et cum omnia in cœlo & terra, laudes illius celebrent, in ecclesia militantium, eas subticeri, nullo modo cõuenit.

¶ *Et post hæc. &c.* *vers.* 1.

POST primã illam quæ ad ecclesiarum statum describendum precipuè referebatur, aliam sibi oblatã fuisse dicit visionem, quę vniuersalis ecclesiæ cõditionẽ exprimeret, qualis in mundo futura sit, ab eo tempore, vsq; ad rerum omnium consummationem. ,,

ET ecce ostium. &c. His verbis indicat aditum sibi à deo ,, patefactũ, ad hæc mysteria pernoscẽda, quæ nisi aperto hoc ostio, ita cœlo includuntur, vt terestris hominis

captum longè superent. Quæcunq; intra cœli ambitum comprehenduntur, diligenter excusserunt philosophi, & ad intima vsq; naturæ secreta admirabili visus acumine penetrarunt: At quæ sunt supra primum mobile, aut ignorarunt prorsus, aut si se scire gloriarentur, euanuerunt in cogitationibus suis, & nescio quæ portenta pro diuinis mysterijs prodiderunt, quemadmodum cernere est in Platone, Trismegisto, & alijs, qui dum ingenij sui modulo, diuinæ maiestatis arcana, metiri voluerunt, vnicam viam qua patet ad tanta mysteria accessus, reuelationem dei, quæ in verbo suo præcipuè exponitur penitus contemserunt. Retineamus igitur hoc semper, non posse nos quantumuis argutis speculationibus, contemplari, ea quæ in cœlo sunt, nisi ostio nobis diuinitus patefacto. Quo maior est audacia ne dicã an impudentia scolasticæ theologię professorum, qui licet nec visionibus, nec verbo dei vel rima vlla illis aperta sit, tamen ac si omnes cœli recessus penitus introspexissent, de incõprehensibili Dei essentia disserunt, alijsque multis incognitis mysterijs, quæ angeli, credo vix audent attingere.

„ *ET vox prima quam audiui similis erat tubæ. &c.* Licet aper
„ to sibi in cœlo ostio, nõ tamẽ audet ingredi, nisi cœlesti voce compellatus, talis enim modestia decet seruos Dei, vt vocem eius ad omnia quæ illis aggrediunda sint expectent: cæterum quod tubæ similem dicit, significat se alta & canora voce fuisse compellatum, vt attentior esset in illis contemplandis, quæ spiritus sanctus illi reuelaret. Ascende inquit huc. & ostendam tibi quæ post hac fieri oporteat. Ad cœlum vsque raptus est spiritu Ioannes, vt visionem istam specularetur, quo maiori studio & reuerentia in eius arcanis eruendis, versari nos conuenit, & cœlestem sapientiam simul & amorem Christi suspicere, qui hanc ad ecclesiæ suæ ædificationem, manifestare voluit.

„ *QVÆ oportet fieri post hæc. &c.* Falluntur igitur qui rerũ
„ ante præteritarũ, fieri mentionẽ in hoc libro putãt

quod

quod esset potius historiam contexere quam prophetiam ædere.

¶ *Et statim eram in spiritu. &c.* *Vers. 2.*

POST HANC inquit vocem, raptus sum in exstasin, & spiritu ad cœlum sublato, contemplatus sum quæ tum quasi ab oculos ponebantur.

ET ecce thronus. &c. In summo cœli fastigio, thronus sublimis magnificè ornatus ponebatur, in quo quidam ineffabili gloria conspicuus sedebat, quem satis euidentibus notis ipsam dei maiestatē esse cognoui. Sed hîc duo occurrunt dubia, primò quod thronum, in cœlo positum dicat, cum dominus ipse per Esaiam totū cœlum esse sedem suam gloriatur: deinde quod dei maiestatem sibi visam narret, cū toties inuisibilem esse deum in scripturis legimus. Ad vtrunque respondemus, non hîc describi deū qualis est, qui cœlum & terram implet, nec hominum oculis cerni potest, sed pro captu ingenij nostri, vt eum in solio sedentem tamquā regē & imperatorem, cui omnia parere tenentur, agnoscamus. Depingitur hic igitur Deus regiam personam indutus, cuius imperio ac legibus totū orbem obtemperare necesse est.

¶ *Et qui sedebat aspectu similis erat. &c.* *Vers. 3.*

HOMINVM imbecillitati, nihil speciosius gēmis videtur. Erat igitur aspectus eius Iaspidi & Sardio gemmis similis, ex quibus alter aqueum, alter igneum quēdā fulgorem præferre Plinio dicitur. Iris thronum circundās & Smaragdino virore splendens, gloriam illius sedis supra humana subsellia attollit. Atque his duabus figuris potentiam & misericordiam dei eleganter exprimi verisimile est. Nā in aqueo illo & igneo vultus illius aspectu Iaspidem ac Sardium referente, potentiam & iustitiam eius significari probabile est, quę vt in mundi totius submersione olim patefacta est, ita in postrema orbis conflagratione tandem manifestanda erit. Iris verò, quæ sacramentum erat fœderis, quòd deus cum hominibus pepigerat immensam misericordiam eius procul dubio de-

monſtrat, quæ thronũ eius vniuerſum maximo ornamẽto circundat, cuius ſenſus licet per gratum Smaragdi aſpectum figuratur, omniũ tamẽ gẽmarũ pulchritudinẽ infinitis partibus ſuperat.

Verſ. 4 ¶ *Et in circuitu throni viginti quatuor. &c.*

QVo magis illuſtris redderetur diuinæ gloriæ maieſtas adiungitur illi venerandus viginti quatuor ſeniorũ conſeſſus. Solent enim reges de rebus arduis cõſultantes, aut ſi quando gloriæ ſuæ ſpecimen populo ædere volunt, ſenatum ſibi ad maiorẽ ſplendorẽ adiungere. Sic ſpiritus ſanctus cum gloriã Dei in totius orbis ac præcipuè eccleſiæ moderatione, ad captum humani ingenij depingere voluit, ſub huiuſmodi figura eam expreſsit. Significat autẽ numerus hic ſenatorum, totũ electorũ dei gregem. Præcipuè vero eorũ qui laboribus ſuis in terra defuncti, ad cœleſtis gloriæ participationẽ aſſumpti ſunt. Et alludit meo iuditio, ad illam Chriſti promiſsionem, qua pollicetur Apoſtolis qui permanſerint eũ eo, in omnibus tentationib⁹ ſuis, q̃ ſuper duodecim thronis ſeſſuri eſſent, & iudicaturi duodecim tribus Iſrael Mat. 19. Luc. 22. vbi duodenarius numerus nõ ad ſolos Apoſtolos reſtringitur, quẽadmodũ nec ad omnes extenditur, tũ enim Iudas functus eſt Apoſtolatu, ſed ad electos omnes pertinet. Et quãuis myſteria in numeris nimis anxiè quærere nolim, hîc tamen mihi videtur duodenarius numerus duplicatus, eccleſiã ex Iudæis & gẽtibus in vnũ corpus collectã cõprehendere. Collocantur igitur ſeniores, in thronis vt iuſtum dei iudiciũ, q̃ in orbem terrarum executurus ſit, ſuis ſuffragijs approbent, & magnificentiã eius imperpetuũ celebrẽt. Deſcribitur ornatus horũ viginti quatuor ſeniorũ, q̃ albis veſtimentis induti, aureis coronis capita redemita habeant. Veſtitus candidus, olim inſigne erat nobilium, primo igitur eorum dignitatem cõmendat, quos Deus ad filiorum ſuorũ adoptionem per miſericordiã ſuam vocauit. Deinde iuſtitiam & innocentiam quam non à ſeipſis habent, ſed à ſanguine Ieſu Chriſti mutuati ſunt. Aurea diadema-

ta

ta victoriæ & regiæ dignitatis sunt insignia, qui enim Christi virtute per fidem mundum vicerunt, ab ipso coronam accipient, & insuper in regni ipsius consortium admittentur. Non mirum igitur si nunquam sibi satisfaciant seniores isti, in Dei & Christi laudibus celebrandis, cum eius beneficio è tantis calamitatibus eruti, ad tantũ honorem sublimes euecti sint.

Vers. 5.

¶ *Et ex throno procedunt. &c.*

NON est dubitandum, quin spiritus sanctus quo ad diuinam eius essentiam, in ipso Maiestatis solio sedeat cum patre & filio, tamen per diffusiuam sui virtutem, qua Dei potentiam, sapientiam, & bonitatẽ erga creaturas exerit, procedere dicitur à throno, in quo diuina maiestas residet. Duabus autẽ figuris vis eius exprimitur: quarum altera nihil nisi terrorem incutit, altera suauis & iucunda est. Ex throno inquit procedunt fulgura, tonitrua, & voces, & septem lampades, igne collucentes, quę sunt septem spiritus Dei. Vtriusque specimen æditum est, in lege & Euangelio. Lex enim vt nihil nisi horrificum & terribile continet, ita olim etiam cum traderetur in mõte Sina talibus symbolis depingebatur. Lux autem Euangelij, fideliũ cordibus gratissima, his qui sedebant in tenebris & in vmbra mortis superuentura promitebatur, & tandem per Christum & Apostolos eius orbi exhibita est, & exhibetur quotidie per synceram verbi prædicationem. Est fateor etiam lux aliqua legis, sed quæ terrorem admixtum habeat vt fulgur, sed Lumen Euangelij placidum & innoxium, per septem lampades pulchrè exprimitur. Septenarius perfectionis & plenitudinis numerus est significat ergo omnia spiritus sancti charismata, quibus Deus ecclesiam & Euangelij prædicationem exornat, non est autem nouum vt symbola aut effectus, nomen sortiantur eius quod referunt aut consequantur. Cur autem plures dicantur cum vnus tantum sit spiritus, supra expositum est capite primo.

Vers. 6 ¶ *Et coram throno mare vitreum simile Chrystallo. &c.*

IN conspectu Dei est status huius mundi, qui per mare vitreū exprimitur, licet enim varius, inconstās, mobilis ac fragilis nobis videatur (quod per mare vitreum, significatur) deo tamē qui eum nutu suo regit, certus, stabilis, & optimo ordine dispositus apparet, & quānis Chrystallo magis pellucidus, quia nihil quod in mundo accidit, eius prouidentiam latet. Et licet talis sit, vt singulis momentis eius fluctibus absorbenda putetur ecclesia, omne tamen eius submergendæ periculum abest. Quod quāuis nobis fluctuosum, ac diris tempestatibus agitatū hoc mare videatur, tamē per Dei prouidentiam in tuto est ecclesiæ salus, ac si insicco & duro Chrystalli scopulo fundatū esset eius ædificium, nequaquam vero in tumido ac procelloso mari, velut nauis agitaretur. Mundus enim hic & quæ in eo sunt omnia, Dei vnius arbitrio gubernantur, vt nihil eorum salutē possit lædere, quos ille in tutelā suam susceperit.

„ *ET in medio throni & in circuitu &c.* Thronum Dei instar
„ solij regum aut triumphalis imperatorum currus, à quatuor animalibus sustentari videt, non q̄ illius gloria vllis adminiculis egeat, sed quia in cōditis à se beatis spiritibus, mirabiliter effulget, quo sensu angeli etiam ipsi Paulo, throni vocantur. Coll. 1. Porrò cum eadem ferè sit hîc animalium descriptio, ei quæ habetur Ezechielis primo, & decimo, non dubium est, quin eo respexerit spiritus sanctus, vt rem eandem demonstraret.

„ *QVATVOR animalia. &c.* Ezechiel intellexit qua-
„ tuor illa animalia, quæ sibi in visione oblata erant, fuisse Cherubim, id est spiritus angelicos, quorum ministerio deus vtitur in mundi & creaturarum gubernatione. Sub animalium figura ostenduntur, vt omniū creaturarum motum agitationemq;, à Dei, qui per angelicas virtutes operatur, nutu & arbitrio pendere intelligamus. Ne crasso Epicuræorum errore seducti, deum in cœlo conclusum ita putemus, vt nihil agat in terris. Cū tamen ad mi-

nimas

nimas quaſque res à ſe conſtitutas, eius prouidentia extendatur, quod ſanè animalium figura hæc pulchrè admodum expreſsit, cum plena eſſent oculis ante & retrò qui viſum diuinæ prouidentiæ omnium acutiſsimum, ad viuum depingunt. Nam vt oculata hæc animalia, res omnes ſiue à fronte, ſiue à tergo, ſiue à latere, ſiue ſurſum, ſiue deorſum, propter oculorum multitudinẽ cernere poſſunt, nec quicquam ab eorũ aſpectu occultari queat, ita diuinæ prouidentiæ oculus, locos omnes implet, vt enim vbique eſt deus per inęſtimabilem eius potentiam, ita etiam vbique videt per inſcrutabilem eius prouidentiam.

¶ *Et animal primum ſimile homini. &c.* *Verſ.7.*

QVATVOR animalium formæ proponuntur, vt omnium creaturarum quæ in quatuor mundi partibus continentur, imaginem repreſentarent. Licet autem in plantis, lapidibus, metallis, alijſq; id genus creaturis, vis etiam diuina operetur, minus tamen perſpicitur rudioribus (ad quorum captum iſta formantur) quam in his, quibus ſenſus & motus ineſt, quæ diuinitus agitari manifeſtũ eſt. Iuxta illud Ioãnes. 1. *In ipſo erat vita. &c.* Cæterũ quod attinet ad particularem vnius cuiuſq; animalis formam, quia leo inter feras primum locum occupat, bos inter domeſtica vtiliſsimus, homo inter animalia principatum obtinet, aquila inter volucres præcipua celebratur, ſub hijs quatuor formis, cæteras animantes comprehendit hæc viſio.

¶ *Et quatuor animalia habebant ſingula ſex alas in circuitu. &c.* *Verſ.8.*

ALÆ, pernicitatem ſignificãt, qua ſpiritus iſti angelici diuinam virtutem ac voluntatẽ, ad omnes mundi partes mirabili celeritate perfetunt. Numerus alarum indicat reſpexiſſe Chriſtum, ad ea quæ de Seraphim ſcribit Eſaias Capite. 6. quibus duæ erant alæ ad faciem ſuam velandam, duæ ad tegendos pedes, duæ quibus volarẽt. Nã cum in conſpectum diuinæ maieſtatis proditurí ſunt etiam Seraphici & Cherubici ordines, faciem ſuam tan-

quam impares, tam immenſæ gloriæ capiendæ, obnubunt, & pedes tanquam imperfectionem ſuam agnoſcentes obuelant. Quod reliquum eſt, toti ad illius obſequium parati, binis alis circumuolitant. Quam deteſtandā igitur eſt hypocritarum arrogantia, qui cum toti ſint polluti ac prophani, nec ad præſtandam Deo obedientiam vllo modo formati: audent tamen in illius cōſpectum prodire, nec metuunt, ne hæc eorum impudētia fulmine cœlitus in eos deiecto coarguatur.

ET *intrinſecus plena oculis. &c.* Dixit prius, vndique à fronte & tergo oculis referta eſſe, nunc etiam repetit, non exterius modo, ſed interius etam oculata eſſe, vt dei prouidentiam non ad ea ſolum, quæ palam & quaſi in ſuperficie gerantur extendat, ſed ad ea etiam, quæ intus, quāmlibet occulta, & ab hominum oculis remota fuerint, vim eius penetrare. Quod quidem probè intelligemus, ſi omnium creaturarum generationem, conſeruationem, formam, pulchritudinem, ordinem, virtutem, diſpoſitionem, diligenter contemplati fuerimus.

ET *requiem non habent. &c.* A diuinis laudibus decantādis, nunquam eſt ocium Angelicis ſpiritibus, quin eas ſemper perpetuo tenore celebrent. Et Dei quidem gloriam in creaturis omnibus, etiam muta ſaxa aſsiduò proclamant. Quid enim aliud loquitur tota rerum vniuerſitas? quam opificis Dei potentiam & ſapientiam, bonitati parem? Quod cum ſine intermiſsione fiat ab illis, demiror quomodo accidit, vt homines quorum cauſa cætera condita ſunt, à diuinis laudibus celebrandis ſemper ſibi feriandum putent. Sed illud ſanè omnia portenta ſuperat, quod qui non tantum creationis prærogatiua cætera excellant animantia, ſed etiam redemptionis beneficio, ad angelicā dignitatem attolluntur, adeo non imitentur angelos & creaturas in Dei gloria illuſtranda, vt ferè cum diabolis conſpiraſſe videantur, vt ipſum è ſolio maieſtatis ſuæ detraherent. Hîc niſi quod arcana Dei iudicia, quæ non intelligo, reuerenter ſuſpicio, nihil aliud

habeo

habeo quo me expediam.

Sanctus, Sanctus, Sanctus. &c. Hæc est diuinarũ laudũ celebratio, q̃ soli deo sanctitatem tribuit, quã cæteraoia nisi ab eo mutuantur, sunt prophana & polluta. Cęterum trinam repetitionẽ, quãdmodum mysteriũ trinitatis innuere arbitror, ita nimis pertinaciter vrgere eam aduersus hæreticos (q̃ veteres fecerunt) haud conuenire puto. Clariorbus enim testimonijs summa religionis capita probari debent, maximè cum res est nobis contra hostes fidei, quibus ridiculi sumus, si argutijs inhærentes, minus virium ad resistendum illis habere videamur. Nam hoc loco per repetitionẽ, assiduũ & indefessũ angelorũ studiũ notari, pbabile est, potius quã triũ personarũ diuinitatẽ.

Dominus Deus omnipotens. &c. Sanctitatẽ omnipotentiã, æternitatẽ dei extollunt, non modo q̃ talis ipse sit in se, sed q̃ inexhaustus sit omnis bonitatis fons, à quo fluit quicquid est boni in ecclesiam, etiam sanctitas, & æternæ felicitatis fruitio. Omnipotentiam dei non nudam, & ociosam de qua digladiantur Sorbonici, imaginari debemus, sed quæ ad voluntatem eius sanctissimam, in omnibus exequendam sufficiat. Quoties enim omnipotens Deus inducitur, ideo fit, vt fides nostra contrà tentationes robur accipiat vt de illius promissionibus implendis nihil dubitem⁹, qui potestate ad omnia quæ decreuit, perficienda præditus est. Æterna vero eius diuinitas, ideo proponitur, vt ei soli adhærere discamus, cum cætera omnia fluxa & incerta sint, nisi arcana illius virtute ab interitu fulciantur.

Verſ. 9. & 10.

¶ *Et cum dederint. &c.*

SI angeli cum creaturis omnibus, tanto ardore, ad canendas Dei laudes accẽdantur, vt nunquã eius celebrãdi studiũ remittãt, quid faceret ecclesia, in quã maiora quã in vllas alias creaturas bẽeficia dei extãt? annõ totã oportet in gratiarũ actionẽ conuerti? Quum igitur agnoscit ecclesia, maximè piorum in cœlo triũphantiũ vel ex aliarũ dei creaturarũ ad se cõparatione, quãtum ipsa deo debeat:

postre-

poſtremam ſe fore in diuinis laudibus illuſtrandis pudet. Se igitur ad ſanctam æmulationem accingit, & quanto pluribus ornatur à Deo beneficijs, tanto alacrius ad gloriam eius perpetuò celebrandam procedit. Nam cum dicit Ioannes, cũ dederint animalia gloriã deo, idem faciunt ſeniores (prius autem dixerat nullam eſſe requiem animalibus à ſacro hoc officio) indicat à ſenioribus Dei gloriam infatigabili ſtudio eſſe decantatam. Sed operæpręcium eſt notare, quibus circumſtantijs hanc eorum ſedulitatem commendet Apoſtolus. Primò enim in faciẽ procidiſſe narrat ante thronum Dei, quo ſupplex eorum ſubmiſsio notatur: quod dei laudes celebraturi, veniam poſcere videntur, quia nihil dignum illius maieſtate cogitare aut proferre poſſunt. Sic enim ad eius gloriam prędicandam accedere debemus, vt agnoſcamus nos tanto muneri longè eſſe impares. Valeat igitur omnis meritorum ſuperba opinio, cùm turgidi quaſi deũ promerituri ad eius nomen illuſtrandum prodeant homines, qui ſi intelligerent, quam indigni ſint ad tam præclarum munus obeundum, vel hoc nomine Deo gratias immortales agerent, quod eos tali honore dignaretur, vt præcones ſuæ gloriæ eſſe permitteret. Secundò adorant eum qui viuit in ſæcula ſęculorum, quo profitentur obſequium ſuũ Deo eſſe debitum, & hoc ipſum exigere officij ſui rationem, vt ſe gratos oſtendant pro tantis in ſe collatis beneficijs.

Poſtremò coronas proijciunt, antè thronum, quo ſigno demonſtrant, ſe omni dignitati propriæ, vel quocunque modo ad ſe ſpectanti renunciare, vt deo debitum obſequium pręſtare valeant. Quippe non aliter in dei cõſpectum, ad eius laudes decantandas, prodire poſsumus, quã ſi omnibus ornamẽtis nos ipſos ſpoliemus, vt ſua deo maneat in ſolidum gloria. Nam decidat oportet omnis altitudo, cum ſemel in illius conſpectum ventum erit, & coram eo omnia humilia apparere cõuenit. Pręterea obſeruandum eſt, nõ angelis aut archangelis non virgini matri ſed ei ſolumqui ſedet in throno omnem gloriam aſcribi.

¶ *Dignus es Domine. &c.* *Vers.* 11.

NON labijs tantum aut lingua ſonant dei laudes vt mos eſt hypocritis, ſed ex animo fatentur experti, omnem honorem, gloriam, virtutem, ſoli deo tribuendam, cum dicunt dignus es domine. Admonemur hîc nõ deberi honorem creaturis, quæ non merentur, ſed Deo ſoli qui dignus eſt.

QVIA *tu creaſti omnia. &c.* Duplici ratione omnẽ gloriam Deo aſcribendam docent, primum quod creauerit omnia, quo ſolo iure omnes, creaturæ obedientiam conditori debeant, deinde à fine creationis, quia propter eius voluntatem creata ſint omnia eius igitur arbitrio parere debẽt. Docet hic locus laudes Dei non lingua ſolum, ſed omnibus vitæ noſtræ actionibus celebrari, quas ad illius obſequium compoſitas eſſe decet. Vbi verò ſint operum merita ex congruo vel condigno? cum ipſo creationis iure, omnis cultus & obedientia noſtra Deo debita eſſe affirmatur.

¶ Caput quintum.

POSTQVAM OBLATA ESSET Ioanni viſio diuinæ maieſtatis gloriam continens, vt ſciatur à quo fonte hauſta ſit hæc prophecia: proximo loco docetur, quo mediante, tam abſtruſarum rerũ cognitio, ad eccleſiã peruenire potuit: docet enim viſio, quæ hoc capite narratur, ſolius eſſe Chriſti, arcanam patris ſui voluntatẽ hominibus patefacere. Solus enim ille eſt eccleſiæ doctor, qui veritatẽ tanto interuallo à terra remotam, è cœlo ad nos pertulit, cuius vocẽ audiri pater ipſe cœleſtis præcepit.

¶ *Et vidi in dextra ſedentis ſuper thronum librum. &c.* *Vers.* 1.

CONtinet liber hic vniuerſã dei volũtatẽ, quę generi humano ad cõgnoſcẽdũ deſcripta eſt, ꝑcipuè vero decreta il-

illius sententię, quę ad ecclesię suæ dispositionē spectant, in hac vltima mundi ętate, vt capite sequenti manifestū est. Ex quibus intelligimus, alia diuini arbitrij arcana, quæ in hoc patefactæ illius voluntatis libro non comprehenduntur, nefas esse hōinibus scrutari, vt addā interim frustra homines quærere, quæ Deus ab eorum cognitione remouit. Concidit hic igitur magna scolasticæ Theologiæ portio, quæ in ijs solum excutiendis versatur, quę deus nullo modo hominibus patefacere dignatus est. Præterea admonemur, decreta Dei de moderanda ecclesia, adeo certa esse, vt in librū referantur, ne quicquā fortuitū, aut à dei voluntate alienū, ecclesiæ accidere posse putemus. Quod scriptus sit hic liber intus & in tergo, innuit rerū multarum & ac variarum continere narrationem. Quæ nō duab⁹ an trib⁹ paginis, sed vix toto libro ex omni parte scripto, explicari potuit. Obsignatur volumē hoc septē sigillis, hoc est vndique clausum est, vt quamuis intus & exterius scriptura esset, nihil tamen in eo legi potuit, nisi apertis sigillis. Nam septenarius numerus, vt superius diximus, plenitudinem & perfectionem designat. Postremò quod in manu sedentis super thronum apparet hic liber, admonemur arcanorū dei reuelationē, nisi ipse dextra sua nobis eam porrigat, humano ingenio comprehendi non posse. Deus igitur cum librum dextra tenet, quē agnus postea aperit, à se solo per Christum omnium mysteriorum scientiam manare significat.

Vers. 2. ¶ *Et vidi angelum fortem. &c.*

QVo certius & toti mūdo manifestius agnoscatur, solum Christum interpretem esse diuinæ patris suæ voluntatis, emittitur potens quidā angelus, qui alta voce proclamet omnibus in cœlo & terra creaturis, si quæ sibi placent in sua præstantia & dignitate, num dignæ sint vt librum aperiant, aut sigilla eius soluant?

Vers. 3. *Et nemo poterat in cœlo nec in terra nec sub. &c.*

NVLLIVS creaturæ reperta est tanta dignitas, vt vel librum aperiret, vel quicquam in eo videret. Quod si

nullius

nullius creaturæ merita ſint tanti ponderis, vt ad cognitionem diuinæ voluntatis valere poſsint, quanto minus ad perficienda illius mandata, & præmiũ æternæ vitæ poſſidendũ valebunt? Quod creaturas in cœlo, in terra, & ſub terra recẽſet, amplificationis gratia factũ eſt. Si enim cœleſtes creaturę indignæ ſunt, multo magis terreſtres, aut ſi quæ ſub terra degunt. *Et ego flebam multum. &c.*

CVM ſciret Ioannes inſtinctu ſpiritus ſancti, vtiliſsimã & neceſsariam admodum eccleſiæ fore, earum rerum cognitionem, quæ in hoc libro continerentur, nec tamen quemquam, ſiue angelorum, ſiue hominum inuentum eſſe, qui eam ſibi communicaret, prorumpit in lachrymas, & grauiter conqueſtus eſt, neminem eſſe repertum, qui librum hunc aperire, aut ſaltem inſpicere dignus eſſet. Commẽdatur hîc nobis pius affect' Apoſtololi, erga eccleſiam, quod ploratu teſtatus ſit, quanto eius ſtudio, in omni neceſſaria cognitione promouendæ flagraret, cum propter negatam (vt putabat) libri ſcientiam, lachrymas tam vbertim profunderet. Quid hijs dicemus quibus cũ eccleſiæ inſtituendæ cura commiſſa ſit, genio tamen ſuo indulgent, & tantum abeſt vt dolore tangantur ob inſcitiam gregis, vt ipſi ſua ſocordia & oſcitantia, omnium malorum matrem ignorantiam nutriant. Quo verò ſpiritu Romanæ ſynagogæ præſules agitari cenſebimus cum nulla re magis dolent, quam ſi eccleſia Chriſti earum rerum cognitionem adipiſcatur, quæ in eius vſum dei bonitas deſtinauit. Hic eſt profectò ſpiritus Antichriſti, vt ea vetet cognoſci, quæ ſpiritus ſanctus prodidit, eo fine vt cognoſcerentur, cum Ioannes ſe multum fleuiſſe teſtatur, quod ea ab eccleſiæ cognitione ad tempus cohiberentur, vt cuius beneficio ſcientiam eorum adepta eſſet, melius tandẽ ac clarius intelligeret. *Verſ. 4.*

¶ *Et vnus ex ſenioribus. &c.* *Verſ. 5.*

NON diu paſſus eſt dõinus ſeruũ ſuũ eius rei abſentia torqueri, quæ illi aliquo modo vtilis eſſe poſsit, ſed poſtquam alia omnia media deficere oſtendiſſet, vnicũ

media-

mediatorem producit, cuius interuentu, id de quo pœnè desperabat Ioannes, prestari deberet. Qui enim rerum bonarum cognitionem sitiunt, sicut ipse promisit, tandē saturabantur. Destinatur igitur ad eum vnus ex viginti quatuor senioribus, qui ei consolationem adhiberet, annuncians quendam esse inuentum, qui librum solutis sigillis aperiret, legeret, & ecclesię communicaret, „*Ne fleueris*„ ac si diceret non ideo oblata est hæc visio tibi, vt animum tuum immodico dolore angeres, quin hoc potius est spiritus sancti consilium, vt cōmonefieres solo Christi beneficio thesaurum hunc in ecclesiæ vtilitatem reserari. Hīc discat ecclesia, dignè æstimare horum mysteriorum scientiam, cum nulla alia ratione nisi Christi vnius mediatione ad eam perlata fuerit.

„ „ *ECCE vicit leo. &c.* Rem admiratione simul ac attentione dignam commemorat, quod opus tam arduum, & quod nulla alia via perfici potuerit, vnus Christus aggressus sit & absoluerit. Vnde non immeritō victoriam eius vocat, quod præter eum negotium hoc adire, nemo auderet. Sed videndum est quibus elogijs hīc Christi virtutem illustret. Primo apellat eum leonem de tribu Iuda, deinde radicem Dauid, postremo victorē eum tantæ difficultatis celebrat. Quod eum leonem vocet ex triba Iuda, alludit procul dubio ad veteris patriarchæ Iacobi vaticinium de filio suo Iuda, quod tanquam leo foret hostibus suis formidabilis, adeō vt etiam tū cum dormiret nemo eum suscitare auderet. Iam quicquid dignitatis aut prerogatiuæ deus contulit in hanc tribum, certum est nō alium finem respexisse, quam vt Messiæ qui ex ea oriturus esset, gloriam illustraret. Fuit igitur tota tribus vt catulus leonis inimicis suis terribilis, at præcipuè Christus ex ea oriundus, hunc honorem sibi vendicare potest, quod omnium hostium victor ac triūphator, sublimis in cœlo consederit. Dauidis radicem vocat, vt eum esse ostendat quē scripturæ Dauidis filium pronunciant. Iesaias certè ex arido trunco Isai patris Dauid virgam progerminandam

cele-

celebrat in quàm recumbet Spiritus intelligentiæ, ſapientiæ, conſilij, prudentiæ, ac timoris Domini, vt meritò eum eſſe agnoſcamus, quem cœleſtia hæc myſteria ſolũ nobis aperire conueniat. Cum igitur formidabilem eius potentiam ac admirabilem ſapientiam hijs encomijs deſignet, eum ſolum dignum eſſe aſſerit, qui tam ardui certaminis, victoriam reportet.

¶ *Et vidi & ecce in medio. &c.* *Verſ. 6.*

HÆc cum dixiſſet vnus ex ſenioribus, protenus inquit vidi, agnum in medio throni quaſi occiſum, qui hoc aperiendi voluminis negocium in ſe ſuſciperet, quem Chriſtum deſignaſſe multis circunſtantijs demonſtrat. Primò quod ſub agni ſpecie appareret, vt eum eſſe agnum cognoſcamus, quem baptiſta à Deo deſtinatum celebrat, vt mundi peccatum ſacrificio mortis ſuæ tolleret. Sed mirum eſt in figura agni oſtenſum fuiſſe, quẽ paulò ante vnus ex ſenioribus leonem fuiſſe prædixerat. Verũ ſic occurrendum eſt. Leonem eſſe Chriſtum contrà hoſtes ſuos agnũ verò, vt eam patri obedientiam præſtaret, qua mundi redemptor eſſe meretur. Huc adde quod robur illud inuictum ſub leonis figura delineatum, nunquam felicius ſeſe exeruit, quã in ſacrificio mortis ſuę, qua capitales generis humani hoſtes, diabolum, mortem, peccatum, infernum fortiſsimè proſtrauit. Porrò apparet agnus in medio throni, vt diuinæ eius cum patre glorię æqualitas oſtendatur. Faceſſat igitur omnis hæreticorum impietas, quæ Chriſtũ patri inæqualem obgannit, cũ eũ Ioannes in medio throni & quatuor animalium, & viginti quatuor ſeniorum vidit, quibus figuris ſuprema Dei opt. max. maieſtas & gloria deſcribitur. Tanquam occiſus conſpicitur, quia mortis ſuę precio incomparabilem hanc dignitatem humanæ naturæ acquiſiuit, vt dignus eſſet qui arcana diuini conſilij myſteria, hominibus pateſaceret. Ornatur præterea cornibus ſeptem & oculis ſeptem.

Per cornua nō dubium eſt ſignificari robur & potentiam eius abſolutam, quantumuis enim humilis & manſuetus in agni forma ſe videndum præbeat, habet tamen ſatis virium, quibus omniū aduerſariorum ſuorum poteſtatem frangere ac ſuperare valeat. Oculorū ſeptem myſterium, exponit Ioānes ipſe, ſeptem deſignare ſpiritus, qui miſsi ſunt in omnem terram, hoc eſt, abſolutam ſpiritus ſancti ſapientiā, qua proſpicit Chriſtus eccleſię ſuæ, per totum terrarum orbem diſperſæ. Ne metuamus nos igitur Chriſto ſubijcere, qui tanta potentia præditus ſit, vt nihil ei reſiſtere valeat, tā admirabili inſuper prouidētia inſtructus, vt omnia ad eccleſiæ ſuæ conſeruationē, vbiq; terrarum moderetur ac diſponat.

¶ Et venit & accepit librum è dextra ſedentis ſuper thronum. &c.

Verſ. 7.

CHRISTVS qui eſt agnus dei, ab origine mundi occiſus, ſolus dignus eſt repertus, qui librum hunc aperiret ac legeret, quod cum angelica voce ſatis teſtatum eſſet, poterat in laude ſibi ab omnibus conceſſa acquieſcere, ſi non noſtræ ſalutis, potius quam ſuæ gloriæ cupidus eſſet. Venit igitur Chriſtus è ſinu patris, & è medio throni interpres diuinæ voluntatis, & acceptum è dextra ſedentis ſuper thronum, noſtræ informationis gratia volumen aperuit, apertum nōbis explicuit.

¶ Et quando accepit librum. &c.

Verſ. 8.

QVANTA animi gratitudine hoc Chriſti beneficium ſuſcipere debeamus, docemur exemplo animalium, ſeniorum, angelorum, omnium denique creaturarū Dei. Quo magis pudenda eſt noſtra ingratitudo, quod cum iſimus, ad quorum commodum atque ſalutem, totum hoc negocium referatur, tamen ac ſi nos parum aut nihil omnino, res hæc tangeret, nec beneficij huius auctori gratos nos exhibemus, nec beneficium ipſum

ipſum magni facimus. Sed obſeruare conuenit, quibus modis ſe ad Dei laudes canendas comparent. Procidũt enim omnes in faciem, tam viginti quatuor ſeniores, quam animalia quatuor, coram agno, eique diuinum honorem exhibent, is enim eſt quem adorare iubentur oẽs angeli dei. Nulla enim creatura quæ nõ ſit deꝰ, honorẽ iſtũ, accipere, ſine ſummo ſacrilegio poſſit. Deꝰ eſt hic agnus Dei, quem adorant angeli. Deinde geſtu hoc modeſtiam ac ſubmiſsionem ſuam teſtantur, quod non aliter ad decantandas Chriſti laudes ſint idonei, quam ſi ſe indignos tanto honore agnoſcant. Cytharas habent ſinguli, quo maior ſit cõcentus & harmonia, quibꝰ omnes vires ſuas & interiores animi affectus, ad celebrandas dei laudes cum lingua cõſentire oſtendũt. Aureas preterea phialas thymiamatũ plenas, quę ſunt preces ſanctorum, vt ipſe exponit. Offert enim eccleſia quę eſt cœtus ſanctorum, ſacrificium Deo boni odoris, cum preces, orationes, ac ſupplicationes, pro totius corporis ac ſingulorum membrorum ſalute, ad Chriſtum profundit. Sic olim propheta cecinit pſal. 141. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, & eleuatio manuum mearum, vt ſacrificium veſpertinum. Habent autem thymiamata hæc aureis vaſis recondita, vt admoneamur, è puro & ſyncero corde, ꝓficiſci debere orationes, quæ gratæ erunt in conſpectu Chriſti. Offeramus igitur ſuffitum precum noſtrarũ, è phialis aureis, nulla hypocriſi aut praua affectione fœdatis, ſic erũt in odorem ſuauitatis domino & Chriſto eius. Cœterum quod hinc quidam ſanctorum in terra degentiũ orationes, vel ab angelis, vel ab alijs ſanctis defunctis, deo offeri contendunt, magis dilutum eſt, quam vt longa refutatione indigeat. Hîc enim viginti quatuor ſeniores qui interpretantur ſancti, non aliorum ſed ſuas ipſorum preces, deo offerre dicuntur, quo ſignificatur, totius eccleſiæ interceſsiones Deo per vnicum mediatorem noſtrum Chriſtum Ieſum offerri, nam conſeſ-

sum hunc seniorum, ecclesiam representare prius diximus, partim in terra militantem, partim in cœlo cum imperatore Christo triumphantem.

¶ Et canunt canticum nouum dicentes. &c.

Vers. 9. CANENT o lætitiam suam & animi synceritatem exprimunt. Nihil sibi iucundius accidere posse confitẽtes, quam vt Christi laudes in perpetuum celebrent, canunt autem canticum nouum, cuius perpetuò modulandi nunquam obrepit illis tædium. Quod licet milli es cecinerint semper tamẽ nouitate sua placet, quia sine fastidio Christi laudes in æternum celebrent. Nam quẽadmodum Christi beneficium æternum est, ita gloriam eius æternam esse conuenit. Et sicut nulla vetustate minuitur eius bonitatis excellentia, ita nunquam in piorum animis senescere debet eius benignitatis recordatio. Quin semper nouam putent celebrandi Christi materiam sibi oblatam, quoties nunquam intermorituram benefici j illius vtilitatẽ diligenter expenderint. Quod si quo debet affectu susciperetur ab omnibus, nõ inuenirentur tam multi, qui se Christi discipulos plenis buccis iactitant, quibus nihil magis tędij, aut fastidij plenum est, quam ad Christi gloriam decantandam paululum modo temporis à suis nugis & delicijs decidere.

DIGNVS es accipere. &c. Hoc nimirum est carmen
,, quod in laudem Christi concordibus animis & lin-
,, guis decantãt. Quod solus dignus sit inter oẽs creaturas, agn° Dei, qui librũ accipiat, & sigilla eius soluat, qui terquatèrq; clausam & ab humana cognitione reconditam cœlestis patris voluntatem, hominibus patefacere meruit. Cur dignus sit demõstrant, cum occisum fuisse dicũt tanti enim meriti fuit obedientia Christi, vt nobis recõciliato Deo saluteni, sibi incomparabilis gloriæ dignitatem acquisiuerit.

ET redemisti nos. &c. Effectus mortis illius describitur, quod qui eramus serui peccati, rei mortis, & mancipia diaboli, eius inæstimabili gratia, ex tãtis malis erepti sumus, persoluto precio nostro, non auro aut argento corruptioni obnoxio, vt Petrus dicit, sed precioso ipsius sanguine, qui nos lauit ab omni immunditia, & noua iustitia indutos, in dei cospectum producit, nec tantum ex tribu Iuda, aut duodecim illis tribubus Israelis electos, sed ex omni tribu, lingua, populo, natione assumtos, quo gentium vocatio, non obscurè significatur.

¶ *Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes. &c.* *Vers.* 10.

E seruis reges, id est regni cœlestis per fidem participes, è prophanis & pollutis Dei contemtoribus, sacerdotes ad offerendas Deo spirituales victimas effecti sumus.

ET regnabimus super terram. &c. Significat non inane fore regium nomen, sicuti scimus multos regium nomen sibi vendicare, qui nullo prorsus imperio potiũtur, fore dicit vt reuera regnaturi sint fideles super terram. Hoc tamẽ videtur absurdũ, q̃ Christi regnum terrenũ fore, videntur dicere, quod ipse deserte negat esse de hoc mundo. Verum intelligendum est, sub terrestis regni figura, spirituale describi. Et admonentur interea, fideles patienter ferendas omnes molestias, quas ob Euangelij professionem sustinent, cum has calamitates regia dignitas paulo post excipiat, quod vice magnæ cõsolationis illis esse debet. Discamus hinc quoties dura Satanæ, aut eius ministrorum tyrannide premi nos contingat, non despondere animis, sed ad amplissimam regni cœlestis spem mentes nostras erigere. Fidelis est qui promisit, imo iam parta est nobis hæc hæreditas, modo constitutum, à patre eius adeundæ tempus patienter expectemus.

Verſ. 11. ¶ *Et vidi & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni. &c.*

DILIGENTER perſequitur Ioannes hũius viſionis narrationem, quod ab omnibus quotquot ſunt vbique in cœlo aut terra creaturis, agnitus ſit Chriſtus ſolus dignus, qui paternæ voluntatis interpres eſſet, & rerum futurarum myſteria eccleſiæ ſuæ reſeraret. Sed obſcurum eſt quòd ait, ſe vidiſſe & audiuiſſe vocem, cum vox non viſu ſed auditu ſolum percipiatur, ſed meminiſſe oportet, viſum non ad vocem, ſed ad infinitam illam angelorum multitudinem, quæ thronum Dei circundabat eſſe referendum. Quemadmodum gloria regis eſt multitudo populi, ita deſcribitur hîc Dei maieſtas innumerabili beatorum ſpirituum exercitu circumſtipata, qui omnes ad illius obſequium ſunt paratiſsimi, hij etiam gratulantur eccleſiæ ob gratiam Chriſti, quem dignis laudibus extollunt.

Verſ. 12. ¶ *Dicentes voce magna, dignus eſt agnus. &c.*

CLARA voce teſtantur, millia millium beatorum ſpirituum, Chriſtum qui morte ſua genus humanum ab interitu redemit, omni laude, potentiæ, diuitiarum, ſapientię, fortitudinis, honoris, gloriæ, benedictionis eſſe dignisſimum. Vtinam angelicam hanc confeſsionem retinere vellent, quotquot Chriſti gloriam quærere, ſe profitentur, vt ei ſoli laudem, honorem, dignitatem, gratiarum actionem, aſcribant, qui morte ſua potentiam, diuitias, ſapiẽtiã, Dei ſupra omnẽ hominũ aut angelorũ captum illuſtrauit. Nulla igitur verborum congerie ſibi ſatis faciunt angeli, vt eius gloriam dignè celebrent.

Verſ. 13. ¶ *Et omnem creaturam quæ eſt in cœlo. &c.*

MERITO Catholica dici poteſt hæc confeſsio, quam ædunt omnes quæ intra mundi ambitum ſunt creaturæ, Deo ſoli & Chriſto deberi omnem benedictionem, hono-

honorem, gloriam, potentiam, in omnem æui æternitatem. Porrò cum eadem agno ac ſedenti ſuper thronum tribuantur, quis non videt Chriſtum ab illis Deum æternum agnoſci? Quod creaturas ſub terra nominat, nõ purgatorianas animas, vt neque infernales dæmonas deſignat, ſed additur vice amplificationis, vt omnes creaturas quaſi per ſpecies enumeraret, quemadmodũ ſupra verſu. 3. ſicut & ea particula (& quæ in eis ſunt omnia) cum tamen prius omnia in cœlo terra, mari, recenſuiſſet. Cæterum quod res etiam inanimatæ Dei laudes perſonant, quo tandem affectu decet homines ratione præditos diuinæ gloriæ deprædicandæ inſeruire?

¶ *Et quatuor animalia dixerunt Amen. &c.* *Verſ.* 14.

PIÆ huic ac ſanctæ cantilenæ, quatuor animalia quæ ſunt Cherubin & Seraphin conſeruandis à Deo creaturis deſtinati, ſuccinunt Amen. Viginti quatuor ſeniores, qui ſunt fidelium cætus, proſtrati adorant viuentem in ſæcula ſæculorum, omni animi ſubmiſsione, gloriam, honorem, gratiarum actionem ob partam eis ſalutem vni Deo, per Chriſtum deferentes.

Caput sextum.

APERTIS AB AGNO SEX PRIMIS libri sigillis, totidem arcana diuinæ voluntatis mysteria pandūtur ecclesiæ, victoria Euangelij, cædes, fames, pestis, martyrum querelæ & consolatio, & tandem terræ motus, qui totum orbem concuteret.

Vers. 1. ¶ *Et vidi cum aperuisset agnus vnum ex sigillis, & audiui vnum ex quatuor. &c.*

QVICQVID apud se statuit deus, de rerum in mundo & ecclesia præsertim dispositione, id longè ab hominū cognitione remotū est, nisi agnus qui est filius dei, nobis referare dignatur, qui non solum rerum futurarum secreta aperit, sed Deum etiam ipsum inuisibilem, nobis videndum exhibet. Ioannis. 1. Postquam igitur Agnus, cui soli hoc officium competere, superiore capite didicimus, vnū ex sigillis aperuisset, audit Ioannes vocem ab vno quatuor animalium profectam, tanquam vocem tonitrui, quæ ei videndi copiam faciat. Vox hæc licet ab vno animalium ædita, dei ipsius fuisse cognoscitur, cuius minister tantum angelus erat, nec enim vlli creaturæ licet, ex se potestatem facere, vel propius accedendi, vel quicquā in diuinis mysterijs perspiciendi. Erat autem instar tonitrui, vt omnes sensus eius ad attentionē expergefaceret. Oportet enim nos humanæ naturæ insitum torporem excutere, si ad Dei mysteria contemplanda idonei accedere velimus.

Vers. 2. ¶ *Et vidi & ecce equus albus & qui sedebat super eum. &c.*

PRIMI huius sigilli solutio, ad piorum consolationem, victoriam Euangelij per totum orbem propagādi describit, sub equi candidi & insidentis ei figura. Albus enim equus, Euangelij ministerium significat, cui Christus nō aliter ac sessor equo præficitur, cuius ope, cœlestis doctrina per totū terrarum orbē, mira celeritate delata est, adeo vt intra paucos annos, ab ascēsu Christi, ignobilis illa, & mū-

do

do cõtẽtibilis Apoſtolorũ turba, in oẽs mũdi regiones Euangelij doctrinã promulgauerint. Candor equi quale in ſe eſt, non quale mundo videtur, Miniſterium deſcribit eſſe formoſiſsimum: ſunt enim ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, annunciantiũ bona. Lætus igitur & fauſtus, eſt huius equi aduentus, maximè cum talem ſeſſorẽ vehat. Nam per ſeſſorem Chriſtum ipſum, aut Euangelij doctrinam intelligere licet, quæ per miniſterium verbi, in omnes mundi partes propagaretur. Arcu armatus eſt qui longè iaculatur, & altè penetrat, vt in vltimos terræ fines, vim eius veloci curſu emittendam, & in intimos cordis receſſus recondendam ſignificaret. Donatur poſtremò corona, quæ eſt regni ac victoriæ inſigne, quam conſecuturus ſit in mundo, rumpentibus Satana, & omnibus miniſtris ſuis. Huic vero Equiti quia iam maturum tempus erat, quo ſuas vires in eccleſia, è diaboli faucibus eripienda exercereat, progreditur, & quocunque fertur, victor euadit, nec enim alio fine à Deo emittitur, quã vt opimã de aduerſarijs Dei victoriam reportet. Hoc ſanè conſolationis vice & ſtimuli inſtar debet eſſe Euangelij miniſtris, ne ſub onere deficiant, aut per ignauiam caſtra deſerant, ſi perſuaſi eſſent, eam doctrinam quam annunciant, inuito diabolo, aliiſque omnibus hoſtibus, victoriam certò conſecuturam eſſe. Fruſtrà enim eius curſum impedire, aut ipſum ſuperare vniuerſa mundi impietas laborat, quẽ Deus ipſe corona inſignitum, non ad anceps bellum, ſed ad certam victoriam, conſultò emiſit. Et deſignat figura hæc, primam illam eccleſiæ ac primeuam ætatem, in qua equus albus, nullis peruerſorum dogmatum maculis aſperſus, puram euangelij doctrinã per mundum vniuerſum detulit.

¶ *Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum audiui ſecundum animal dicens, &c.* *Verſ.* 3.

NE lætis initijs omnia reſpondere læta ominemur: oſtẽdit ſecundi ſigilli apertio, peruerſis mundi ac Satanæ odijs, Euangelij doctrinã eſſe excipiendã. Cæterũ

E.v. quod

quod à ſecundo animali ad videndum vocetur, diſcamus ſobriè & modeſtè verſari in diuinis myſterijs, excutiẽdis, ne plus ſcire appetamus, quam Dominus nobis reuelare dignatur. Deinde vt attentius conſyderaret ſingulas huius viſionis partes, ad vnamquamq; noua voce excitari eũ oportuit. Eſt enim hæc naturæ noſtræ imbecillitas, vt niſi ſæpius ſuſcitemur, ad meditandũ ea quæ diuinitus nobis reuelantur, nihil procliuius eſt, quam ea ex animis noſtris elabi ac effluere. ¶ *Et exiuit alius equus rufus. &c.*

Vers. 4. CONSTAT euangelium ex ſe eſſe doctrinam pacis, nõ modo inter deum & homines, ſed hominibus etiam inter ſe. Quid enim aliud docet Euangeliũ, quam vt vera fide in Deum patrem noſtrum, Chriſti morte nobis pacatum recumbamus, & cum hominibus qui fratres ſunt iuſtitiam ac pacem colamus? Verum hominum vitio accidit, & Satanæ artificio, quod cum ſalutaris hæc & pacifera doctrina reſpuitur, mutuis cædibus in ſe homines ſęuiant, & Deus ipſe bellicos tumultus immittat, vt pœnam de ſceleratis verbi ſui contemtoribus ſumat. Quod hic ſub ruſi equi, & Satanæ ſeſſoris eius figura, manifeſtè exprimitur. Significat enim equus rufus crudele & ſanguinarium Satanæ propoſitum, quo omnes ad vnum fideles Euangelij profeſſores, funditus exterminare enititur, niſi Dei immutabili decretò, refrenaretur illius ſęuitia. Hinc accidit vt Euangelio ſemel prædicato, horrẽdi motus, cædes, tumultus, ſuboriãtur. Verum hæc omnia ita moderatur ſumma prouidentia, vt ſuos hijs tentationibus examini ſubijciat, aduerſarios mutuis cędibus ſe conficere patiatur. Atq; hoc eſt quod dicit Ioannes, datam fuiſſe huic ſeſſori poteſtatem, pacem è terra auferendi, & vt in ſe homines mutuis cladibus ſæuirent, cuius poteſtatis ſymbolum gladium magnum accepit. Hic eſt gladius ille, quem Chriſtus aſſerit ſe veniſſe in orbem vt emitteret. Eſt hoc obſeruatione dignum, q ipſe diabolus quãtumuis crudeli odio flagret in pios, nihil tamẽ in eos moliri poteſt, niſi quatenus miſericors eorum pater concedit. Deinde

in

in cædis piorum vltionem, deum gladios hostium in sua ipsorum viscera conuertere. Vix enim vnquam sænitum legimus in sanctos Dei, quin eorum sanguis, vberius fuso persequitorum sanguine, vindicatus sit. Videtur autem hic typus esse ecclesiæ, quam aperta vi oppugnauit Satanas sub Romananis Cæsaribus, vsque ad Constantini magni tempora, eo enim spatio, sub Domitiano, Traiano, Antonino, Decio, Diocletiano, Maxentio, Licinio, aliisq; truculentis tyrannis innumeras, sanctorum martyrum strages, ædidit. Sed probè vltus est Deus eorum cædem, quum infinita eorum millia, qui se Satanici furoris in persequenda ecclesia ministros præbuerunt, aut externis bellis, aut intestinis seditionibus indies consumerentur, ipsi etiã Cæsares, proconsules, & prouinciarum præsides, veneno, proditionibus, tumultibus, suis etiam manibus sæpenumero interemti crudelitatis suæ pœnas dederunt. Nec tamen impeditus est cursus, aut victoria contaminata eius qui albo equo insidẽs, exiuit vt vinceret. Quin potius inter cruentos enses, & vulnera, victoria ei multo illustrior apparuit.

¶ Et cum aperuisset tertium sigillum audiui tertium animal dicens. &c. Vers. 5.

NOVO admonitore opus habuit, vt tertij sigilli mysterium diligenter animo imprimeret. Erat autẽ tale, cum cæperit homines cœlestis cibi fastidium, famem immittit illis Deus, vt pœnas contemti illius euangelij, meritas, luant. Apparet igitur equus niger, mœrorẽ & tristitiã famis in orbẽ aduehẽs, vt qui primi equitis cãdido equo insidentis fœlicẽ victoriã non agnoscant, a toruo nigri equi sessore, miserè torqueantur. Gestat hic eques stateram aut bilancem, vt panem & aquam ad pondus hominibus, in victum porrigat. Quo symbolo rerum penuriam, ac famem significari legimus. Leu. 26. & Ezekielis. 4. & 5. Cum decem mulieres minatur Deus, in uno clibano cocturas, & panem ad pondus tradituras, panemque & aquam ad pondus & mensuram sumturos Israelitas in victum, per prophetam denunciat.

Hic

Hîc vero, non tam rei frumentariæ inopiã prædicit, quã Amosinam illam famem & esuriem verbi diuini, quæ propter eius contemtum superuentura sit orbi.

¶ Et audiui vocem &c.

Vers. 6. NE famem hanc, omnium plagarum acerbissimam putaret, audit oraculum è medio quatuor animalium, tolerabile fore hoc supplicium, vtpote quod extremam internecionem non adferat. Proclamat enim vnum Chœnicem tritici, denario, tres autem hordei item denario venire debere, vini tamen & olei nullam fore inopiam. Erat autem Chœnix mensura tritici aut hordei, quantum seruo ad vnius diei victum suppeteret. Vetus interpres bilibrem vertit, Budæus quatuor libras, Pollux tres tantum pendere scribit. Ezechiel viginti siclos, id est vnam libram panis, & sextam partem hin aquæ, vni homini in victum diurnum attribuit. Cap. 4. Denarius verò Romanus sub Domitiano percussus, septem ferè denarijs nostræ monetæ valet. Et tum temporis denario diurnam operam locabant, vnde cum vnius cuiusque diei labor in panem triticeum absumeretur, magnam fore penuriam significat, sed quę tamen esset tolerabilis, cum hordei maior esset copia, vini autem & olei nulla inopia. Et hæc figura videtur adumbrare statum ecclesiæ postquã radices in mundo egisset, præcipuè verò post pacem à Constantino redditam, cum præter horrendas hæreses, quæ palam adulterabant doctrinam Christi, multæ aliæ irrepserunt traditiones, & ceremoniæ inutiles, per quas magna syncerę doctrinæ, quæ est spiritualis animi cibus, introducta est fames in ecclesiam, non tamen tanta, quin necessarij ad vitam æternam conseruandã alimenti copia suppeteret. Licet enim puri panis triticei penuria laborarent, erat tamen hordeaceus quo quamuis non tam puro alimento, tamen necessario, vti poterant. Interim vero spiritualis gaudij, & lætitiæ (quæ per vinum & oleum figuratur) materia non deerat pijs, qui vnicum fundamentum fidei, Christum, retinentes, peccatorum remissionẽ

&

& conſcientiæ tranquillitatem eius beneficio aſſecuti ſunt.

¶ *Et quum aperuiſſet quartum ſigillum. &c.* Verſ. 7.

RESERATO quarto ſigillo, admonetur quarti animalis voce, vt propius accedat, rem certius & penitius introſpecturus.

ET vidi & ecce equus pallidus. &c. Pallidus hic equus qui mortem vehit, ſignificat peſtem, alioſque peſtilentes morbos, qui mortem hominibus ab euangelij contemtũ, iuſto Dei iudicio inferant. Sequitur autem mortem infernus, ne corporum tantum hæc lues eſſe cenſeatur, ſed quæ æterna animæ mors, & tormenta inferni conſequantur. Et corporis quidem mortem infernus ſemper ſequitur, niſi in ijs ſolum, quibus morte Chriſti retuſus eſt aculeus mortis, & victoria inferni ablata. Et ne ſolam peſtem in reprobos graſſaturam arbitretur, audit datam illis poteſtatem, vt gladio, fame, morte peſtifera, & ferarum morſibus, quartam hominum partem abſumant. Hæc autem quatuor ſuppliciorum genera, ab irato Deo infligi teſtatur Moſes, Leuitici. 26. Vnde colligimus admodum calamitoſam fore horum temporum conditionem, quibus hæc comminatio adimplenda ſit. Qualia fuerunt tempora cum à Gothis, Hunnis, Vandalis, alijſq; barbaris nationibus Romanum imperium longè latéque vaſtaretur. Teſtanter enim hiſtoriæ, nunquam manifeſtiora extitiſſe diuinæ vltionis exempla, quam miſeris illis temporibus, cum cædibus, incendijs, fame, peſte, & belluinis barbarorũ crudelitatibus, omnia eſſent pleniſſima. Quid mirum, ſi pura Chriſti doctrina pœnè profligata, & proſcripta in multis locis conticuit, vbi antea egregiè floreret, ſi hæreſes & peruerſæ opiniones ac humanæ traditiones tum vires magnas ſumſerint, cum iuſto Deo iudicio, ob veritatis neglectum, mendacijs hominum mentes faſcinari oportuit? Si eccleſia, paganorum & hæreticorum perſecutionibus concuſſa, valdè immi-

imminuta sit, & in angustum locum redacta? Sed aduersus has omnes calamitates, armari oportuit fidelium animos, ne in tantis tentationum procellis deficerent, sed fidei professionem ad finem vsque incontaminatam seruarent.

¶ *Et cum aperuisset quintum sigillum. &c.*

Vers. 9. QVINTI sigilli relatio, statum exponit fideliū post hanc vitam depositam. Nam cum infinitis calamitatibus oppressi, tota die reputentur velut oues ad victimam destinatæ, suoboriri poterat in piorum animos hæc dubitatio, quid illis boni maliue accidat post mortē? cū per totam vitam miseris modis accipiantur, & tandē immani hostium sæuitia morti tradantur acerbissimæ. Hunc scrupulū eximit Christus, dum eos qui propter sermonē dei & testimonium euangelij, quod liberè semper professi sunt, interemti essent, post ærūnosam hanc vitam, beata tranquillitate frui in cœlo, & in impios eorum hostes debitam vindictam expectare ostendit. Collocantur autem sub altari animæ defunctorum, hoc est, sub Christi tutela requiescunt, qui factus est deo, pro illis, sacerdos, altare, victima, & ipsi etiam in sacrificium grati odoris per martyrium oblati sunt in terra, cōuenienter ergo, sub altari assignatur illis requies in cœlo. Sed quod ad locum attinet in quo reponuntur sanctorum spiritus, non aliud hîc per altare significatur, quā apud Lucam. Cap. 16. per sinum Abrahę & 23. per paradysum.

¶ *Et clamabant voce magna. &c.*

Vers. 10. DEI gloriam super omnia extolli optant beati spiritus, introducuntur igitur, per prosopopeiam ægrè ferentes Dei iudicium, tam diu differri. Nec adhuc pœnas esse sumtas de sanguinarijs Christi & ecclesiæ aduersarijs. Cæterum non tam quo illi affectu præditi sint hîc exprimitur, quam quod meriti sunt eorū persecutores describitur. Ne aut eos qui ob Christi gloriam occumbunt, extinctos imaginemur, aut impios in sua impietate semper præualituros putemus. Clamant magna voce, vt serio vltio-

tionis desyderio tangi videantur „ *Quousque domine*„ Nō expostulant cum Deo, quasi illis iniquus sit, quod eorum vindictam tam diu distulerit, sed more piorum, querelas suas in sinum eius deponunt. Quum enim sanctum & veracem appellant, significant nihil posse aut velle eum permittere, quod non iustitię & veritati eius per omnia respōdeat. Est autem alienum à iustitia Dei, vt illatas pijs iniurias semper sinat esse inultas, & à veritate verbi illius abhorret, vt impunè euadant homines nefarij, de quibus sumturum se supplicia, eorū sceleribus debita, toties pollicitus sit.

¶ *Et data sunt illis stola alba. &c.* *Vers.* 11.

CANDIDÆ vestes, dignitatis sunt insignia, qua Christus afficit eorum animas, qui pro Euangelij sui testimonio mortē fortiter oppetere non recusauerunt. Licet enim absoluto adhuc ac perfecto felicitatis gaudio non fruuntur (quali donandi sunt post animæ & corporis restitutionem) viuunt tamen & regnant cum capite suo Christo, in cœlis, & beata tranquillitate potiuntur, sic tamen sub spe, vt corporum suorum restaurationē & extremi iuditij tempus anxiè expectent. Hæc autem dignitas illis per solum Christum contingit, vt proximo capite audiemus, de ijs qui in sanguine agni stolas suas lauerunt.

ET dictum est illis vt quiescerent adhuc modico tempore. &c.

Iubentur in hac tranquillitate acquiescere, & æquo animo ferre extremi iudicij dilationem ad modicum tēpus, vt vniuersus eorum numerus, quos deus similiter ad martyrij gloriam destinauit, eandem cum eis victoriæ palmam assequantur. Quo satis ostenditur, licet infinitis penè martyrum millibus, sub decē illis persecutionibus nobilissimis consummatis, restare ad huc magnum piorum numerum, qui in sexti & septimi sigilli apertione, similia passuri reseruantur. Porrò breue tempus vocatur, licet per multa sæcula protractum, quod illi finem & terminos statuit dominus, qui si ad æternam consolationem respiciamus breues admodum videri debent. Quæ enim proportio

portio finiti ad infinitum? Nec æstimandæ sanè, sunt passiones, si ad futuram gloriam conferantur. Porrò neminē ad martyrij coronam, nisi qui à Deo in hoc opus constitutus sit promoueri posse intelligimus ex hoc loco. Postremò defunctorum animas, non dormire absq; vllo sensu felicitatis, cum alta voce vltionem petant, deum celebrent, stolis albis vestiantur, sociorum fratrumque victoriam expectare iubeātur, ex hac visione satis erudimur.

Vers. 12. ¶ *Et vidi cum aperuisset sextum sigillum. &c.*

SEXTI huius sigilli apertio, horrendam terræ concussionem, & varia præterea cœli prodigia pandit. Vaticinatus est Christus. Math. 24. famem futuram, & pestes, graues insuper terræ motus pluribus locis. Quæ omnia, vt hac etiam visione futura prædicuntur, ita si absque figura intelligātur, vel ipso teste, initia tantū sunt & quasi præsagia dolorū. Et quidē maximorum terræ per varias regiones tremorum, pleni sunt annales. Quos vt sequētium malorum portenta fuisse concedam, ita non dubito quin hic per terræ motum, maximæ imperij & religionis mutationes, per totum ferè orbem euenturæ prædicantur. Quales erant cum impia Mahometis pestis, obtinuit in mundo, per Saracenos, quæ totum subitò orientis imperium peruasit, & tandem succedentibus Turcis, maximam quoque occidentis partem occupauit. Tum planè sol iustitiæ Christus, grauem ecclipsim passus est, obscurata pœnè apud omnes, pura euāgelij doctrina, quæ vilis, & instar sacci cilicini videbatur hijs, quorum oculos mundi splendor ita perstrinxerat, vt in media & meridiana luce cęcutirent. Non enim Christus ipse quicquam gloriæ suæ decidere passus est: qui etiam tunc erat fidelibus licet admodum paucis, lux mundi, & sol iustitiæ, sed quod impiæ multitudini talis videretur, cum vrgente sæuissima persecutione, pauci eum verè ac liberè confiteri auderent. Luna verò id est ecclesia, quæ à sole, hoc est Christo lumen suum mutuatur, non solum eo obscu-

obscurato luce priuata est, sed propter horrendas clades, & calamitates, tota sanguineum colorem induit.

¶ *Et stellæ cæli ceciderunt. &c.* *Vers.* 13.

DOCTORES qui syncera Euangelij doctrina, tanquã stellæ in cœlo fulgere videbantur, alijque professores, iam victi calamitatibus, & oppressi miserijs, deficiunt ad terrestria: Christum & ecclesiam eius deserunt, præsens sæculum amplectuntur. Et ne pauci hoc facturi videantur, innumeros fore ostendit, qui non secus ac grossi à ficu decidunt, cum arbor magno & vehementi vento agitatur, ita simul & vno qnasi impulsu multi, & tandem ferè omnes, à cœlestis doctrinæ confessione, ad sordes huius sæculi dilabentur.

¶ *Et cælum recessit sicut liber. &c.* *Vers.* 14.

SVBLATA è medio Euangelij doctrina, quę cœlũ patefacere solebat, & cœli ipsius aspectus ex oculis hominum subducitur, similitudo voluminis complicati, subitam eius ablationem exprimit. Montes autem & insulę quæ solẽt esse refugia in huiusmodi calamitatibus, nec ipsæ ab ijsdem horrendis motibus sunt immunes, ità nullum prorsus solatium miseris apparet, vel in cœlo, vel in terra.

¶ *Et reges terræ & magnates & diuites. &c.*

SVPERBI isti sanioris doctrinæ contẽtores, qui luxui & delicijs vacantes, verum Dei cultum neglexerunt, siue reges sint, siue magnates, diuites, tribuni, potentes, cũ omnibus affectis suis, liberis aut seruis, iam pœnas dabunt suæ impietatis, cum metu impendentium malorũ, in speluncis & montium foraminibus trepidè sese occultabunt. *Vers.* 15.

¶ *Et dicent montibus ac petris, cadite super nos. &c.* *Vers.* 16

IAM conscientię suæ furijs agitati qui hactenus deum securè spreuerunt, agnoscẽt tandem has calamitates ab irato numine in eos immitti. Nec tam mortẽ fugiunt quã optant sibi contingere æternam, sed conspectum sedẽtis super thronum & iram agni qui est iudex viuorum &

mortuorum. Qualia verò ſint tormenta inferni, cũ tantus ſic horror iudicij? Et iram agni obſeruemus terribilem hoſtibus, qui tam blandus ſit amicis, quamtumuis olim ſe laniandum Iudæis præbuit.

Verſ. 17. ¶ *Quia venit dies magna iræ eius. &c.*

VENISSE iam tempus fatentur, quo ſcelerum ſuorum pœnas luant, nec euitari poſſe, quo minus agni ſeueritatem experiãtur quæ nulli mortalium ſit tollerabilis. Oſculemur igitur filium, dum ſe nobis placabilem offert, vt ab illis malis immunes, æternum cum ipſo viuamus beati.

Caput ſeptimum.

VPRA IN QVINTI SIGILLI Apertione, deſcripta eſt animarum quæ è corpore migrarunt beata requies, id eſt eccleſiæ in cœlo triumphantis ſtatus, iam verò oportunum videbatur, vt quæ eſſet eius in terra militantis conditio, hoc capite, quod ad ſexti ſigilli reſerationẽ pertinet, exponeretur. Nam ex maxima omnium quæ hactenus cõtigerunt afflictione, cõſeruata, & ſigillo Dei viui obſignata, tandẽ è vitæ huius calamitatibus & ærumnis liberata, in eundẽ fœlicitatis gradum cum his qui præceſſerunt aſſumitur.

¶ Ei

¶ *Et post hæc vidi quatuor angelos. &c.* *Vers.* 1.

POST grauissimam hanc terræ concussionem, quę torporem & delitias impijs mundi principibus ac Satanę satellitibus penitus excussit, vt terrore exanimati, quamuis potius necem exoptarent, quam ad tribunal irati iudicis pertrahi vellent: Mirari poterat Ioannes, quid actũ esset de ecclesiæ Christi. Hac igitur visione admonetur, nullũ ex toto, fidelium numero, quos Deus ad æternam vitam prædestinauit, vel diris persecutorum tormentis, vel occultis hæreticorum & impostorum fraudibus, à veræ fidei constantia posse abduci, quantumuis magnę tentationum procellæ ingruant.

VIDI quatuor angelos. &c. Boni ne fuerint an mali angeli, non multum nostra refert scire, sua enim iudicia Deus per hos & per illos, prout illi visum est exercet. Bonus enim angelus pestem Dauidis tẽporibus induxit. Angelus item bonus Sennacheribbi exercitum, ingenti strage prostrauit. Quanquam ad eorum sententiam inclino qui hîc malos intelligi contẽdunt, vtcunq; est, visum est iusto Dei iudicio, liberam euangelij prædicationem, quę prius in toto orbe persõuit, omnẽ pœnè è mũdo subducere. Et pulchrè cõuenit, vẽti metaphora, sublato enim verbo retinetur vis spiritus sancti, qui in eius prædicatione se exerit, ne spiret super terram, neq; super mare, neq; super vllam arborem. Quod autem venti salubres & tempestiui sunt mundo, hoc spiritus sanctus est ecclesiæ. Sublato igitur ex orbe terrarum verbi ministerio, ecclesiam grauem imminutionem passuram esse necesse est. Et significatur hîc dubio procul maximâ totius ferè orbis à pura Euangelij doctrina defectio, qualis calamitosis illis temporibus accidit, cum Mahumetica pestis longè latéque Asiam & Affricam inuaderet, papistica in Europa magna indies incrementa sumeret. Et veri simile est, hîc notari, generalem illã apostasiã, quam Paulus Antichristi reuelationẽ præcessurã præuidit. 2. Th. 2. quæ in septimi sigilli apertione graphicè depingitur.

Vers. 2. ¶ *Et vidi alium angelum.*

ASSENTIOR illis, qui per angelum hunc Christũ notari intelligunt, in quem propriè competunt, quæ de hoc angelo Ioãni in visione ostensa sunt. Et angelos quidem sustinere personam domini & capitis sui Christi, tam frequens est in scripturis, vt in eo immorari nolim. Cæterum quod ad præsentem locum attinet, id verè conuenit Seruator nostro, quod hîc dicitur: ascendisse ab oriente sole, quem Zacharias in cantico, ijsdem pœnè verbis orientem ex alto celebrat. Ipse est enim sol iustitiæ ante cuius exortum, tam in maiori mundo, quam in minore, nihil aliud quam tenebræ densissimæ reperiuntur. Hoc autem loco ab oriente sole ascendisse legitur, vt aliquam splendore suo pijs consolationem adferret, prius enim solem in mundo obscuratũ, tanquam si saccum cilicinum induissel accepimus. Id autem ad impiorum & hypocritarum sensum accommodatum est, nam sponsę suæ ecclesię ab oriente sole ascendens, suauissimis lucis suæ radijs eam illuminat. Habet præterea Dei viui, hoc est, æternũ viuentis, & à quo omnis vita promanat, sacrosanctum sigillum Christus, qui spiritu sancto obsignat quoscunque pater cœlestis fons vitæ, ad perpetuam vitam elegit, & quos ipse morte sua redemtos, resurgendo in nouam vitam restituit. Postremò magna auctoritate, quatuor angelorum impetum coercet, quibus concessum esset, vt terram & mare læderent, ne quicquam omnino attingerent, donec ipse seruos Dei in tutum collocasset. Pulcherrimè significat hic locus, Deum nunquam tam grauiter in mundum sęuire, vt suorum curam abijciat.

Vers. 3. ¶ *Ne lædatis terram. &c.*

PRÆCIPIT illis ne vel terræ, vel mari, vel arboribus, damnum vllum inferãt, priusquã dei seruos impresso sigillo eiº ab impijs & hypocritis distinxerit. Hîc impiorum supplicia differuntur dum prospicitur electis. Nõ prius

venit

venit diluuium, quam Noach cum familia in Archam se recepisset. Et angeli testantur se nihil posse Sodomorum vrbi, nisi educto prius in tutum Loto. Angelus tam diu pepercit Ægyptiorum primogenitis, dum postes Israelitarum sanguine agni paschalis sub noctem sunt aspersi. Et simile quiddam extat apud Ezechielem Cap. 9. vbi sex illi armati, qui ad excindendam Hierosolymorum vrbem emissi fuerant, iubentur sequi virum linea veste indutũ, & atramentario scribæ succinctum, quem præmisit Dominus, vt signo eos notaret in fronte, qui lugerent, propter oẽs abominationes, quę patrarentur in vrbe. Quos verò primus ille non signauerat, reliquis interimendos committit. Hoc verò loco obsignãtur, non vt à peste, aut cœde immunes conseruarentur, sed vt ab æterna morte liberati, Deo & Christo liberatori asserantur. Signantur autem nulli nisi serui Dei. Obseruandum est præterea, quod sigilli impressionem in frõtibus accipiant, in hunc finem, vt sicut serui Dei sunt, ita tales etiam ab omnibus agnoscantur, nec pudeat eos fateri, vbicunque opus fuerit, cuius doctrinam & religionem profitentur. Licet autem in cordibus obsignentur per spiritum sanctum, apparet tamen in frontibus eiusdem sigilli figura, cum corde credatur ad iustitiam, ore fiat confessio ad salutem.

¶ *Et audiui numerum eorum qui signati sunt. &c.*

ELECTORVM numerus Deo certus est, vt ne vnus quidem ex ijs perire possit quos Christus in suam tutelam suscepit. Fundamentũ enim hoc Dei semper stabit inconcussum, habens sigillum hoc. Nouit Dominus qui sunt sui, & discedat ab iniustitia, quisquis nominat nomen Domini. Magnus est etiam electorũ numerus, & maior opinione hominum, nõ multi sint electi si ad infinitas reproborum myriades respiciamus, sed cum paucissimos, ac pœnè nullos superesse crederes, veros Dei cultores, habet tamen ecclesiam suam Christus. Septem millia id est multa millia erant Israelitarum, cum se solum relictum putaret Elias, qui nunquam ad impios Baalis cultus *Vers. 4.*

 desciuerant

desciuerant. Et cum sublatam pœnè ex orbe Iudæorum nationem, tam horrendis persecutionibus ac calamitatibus, quæ post apertionem quatuor sigillorum acciderunt conijceremus, audit Ioannes, centum & viginti quatuor millia signatorum ex omnibus tribubus Israelis. Numerus hic ex duodecim millib⁹ duodecies repetitis, cõflatur. Duodenari⁹ vero numerus, collectionẽ ex misera illa dispersione in vnam Christi & ecclesiæ corpus significat, quod in duodecim patriarchis fundatũ, ac postea fœdè dissipatum, per totidem apostolos Christi præcones, rursum coaluit. Idẽ etiã per septuaginta duos discipulos, per totam regionẽ emissos significare Christus voluit, cum numerus hic ex totidẽ senioribus per Mosen institutis celebris apud eos haberetur & satis luculentur admonere poterat Iudęos, adueniſſe Messiam, qui palantes ac errãtes Iudæos, ac per totum orbẽ dispersos Israelitas, rursus in vnũ corpus colligeret. Docemur hîc constare Deo corpus ecclesiæ, licet membra locis remotissimis à seipsis disiuncta sint, modo in Christo capite sacrum vnitatis vinculum retineant. Vbi enim est cadauer, eo congregabuntur aquilæ. Matth. 24.

¶ *Ex tribu Iuda duodecim millia signati. &c.*

Vers. 5.6 7.8. NON sat habet vniuersum eorum numerum, qui obsignati erãt recensere, nisi ex singulis tribubus enumeraret, duodecim millia signatorũ. Quod ideò facit, ne quicquã de promissionibus diuinis, quæ illustres admodum extabant de restituenda Israelitarum republicâ decidisse videatur. Non quod necesse sit, æqualem numerum è singulis tribubus assumi, sed quod duodenarius numerus, perfectionem designet & determinatum esse electorum numerum apud Deum ostẽdat, quẽadmodũ est militũ multitudo imperatori cognita, qui vt eorũ numerus melius constare possit, & vt ordo seruetur, totum exercitum in signa distribuit quod hic facit Christus. Alioqui nulla est tribuum in prima electione differentia & prærogatiua. Aliter enim hîc distribuitur signorum ordo

quam

quam apud Mosen Num. 2. Quanquã Iudæ priuilegium propter capitis nostri mysterium seruatur, nam ex Iudæis Christus. Subit autem mirari nonnullis, cur tribus Danitica, penitus omissa fuerit in hoc catalogo. Veteres inde oriturum Antichristum ex prophetia Iacobi autumabant, idcirco eam tribum inter electas nõ recenseri, quod nimis dilutum est, & portentosas fabulas de Antichristo peperit, cum nihil tale sonent verba Iacobi. Gen. 49. sed tantum, velut serpentes homines incautos adoriuntur ita ingenium huius tribus tale esset, vt per insidias & fraudem hostes superaret. Mihi verò simplicissimum videtur, vnam tribũ fuisse omissam, vt locus esset tribui Leuiticæ, quæ in isto catalogo propter insigne mysterium prætermittenda non erat. Nam cum in terra promissionis Canaan, portionem non haberet (quia pars eius erat Iehoua) iam translato ad Christum sacerdotio, disertè exprimere voluit spiritus sanctus, tribum etiam Leui, ad cœlestis hæreditatis participationem fuisse admissam, vtcunque terrestri inter cæteras sola careret. Cæterum ex tãto Iudæorum numero qui hîc recitãtur, colligere licet mysterium, quod Paulus attingit ad Rom. 11. cæcitatem ex parte contigisse Israeli donec ingressa sit plenitudo gentium ac totus deinceps Israel seruabitur.

¶ *Et post hæc vidi & ecce turba multa quam nemo poterat. &c.* Vers. 9.

PRIMO loco ex Israele qui est primogenitus Dei, numerantur obsignati, suo dein ordine sequuntur gentes, quę vt tẽporis dignitate superãtur à Iudæis, ita multitudine vincunt Iudæos. Turba inquit multa quã nemo numerare poterat, non tamen incerti numeri, sed qui Deo cognitus sit, ab hominibus comprehendi non possit „ *Ex omni natione, tribubus, populis, linguis* „ Non est personarum acceptor Deus, sed ex omni natione qui diligunt eum, & operantur iustitiam ei sunt accepti. Nam in Christo Iesu, nõ est, vel Iudæus, vel Græcus, Scytha, aut barbarus. Sed quos elegit Deus vocauit, vo-

catos, sanctificauit, sanctificatos glorificauit. Videmus hic admirabili Dei consilio & prouidentia, quam ingens fidelium numerus, præter omnem spem humanam, ex tãtis persecutionum vndis emerserit. Et vbi ecclesiam propemodum extinctam existimaremus, maximas tamẽ reliquias ope diuina esse conseruatas. Discamus hic ecclesiam carnis oculis non esse quærendam, nec sensuum iuditio metiendam esse eius multitudinem. Nam si semper in conspectu hominum floreret ecclesia, nihil opus fuit hac visione confirmari piorum animos, contra tentationem illam, qua tota ecclesia funditus euersa videretur, cum cædibus, impostoris, defectionibus, omnia plena apparent, nusquam solida illa petra, quæ aduersus inferni portas statura promittitur, humanis oculis subijceretur.

" *STANTES coram throno & agno. &c.* Qui prius alieni erant, ab ecclesia, nec patebat eis accessus ad deum, nunc ciues eius sunt, & filij dei per agnum, qui non Iudęorum tantum sed totius mundi peccata sustulit, adeo vt in Dei & Christi conspectu stare intrepidè valeant. Cum impij nihil magis exoptabant quã occultari è conspectu sedentis super thronum & ab ira agni, vt prędcedenti capite accepimus.

" *INDUTI stolas albas & palmæ in manibus eorum. &c.* Describitur ornatus eorum, quod candidis stolis amicti sint, quæ dignitatis & innocẽtiæ symbola sunt, quod palmas manibus gestantes, victores se mundi, carnis & Satanæ fuisse testentur. Sed quia paulò post, de ipsorum felicitate fusius disseritur, hæc paucioribus perstrinxisse sufficiet.

Vers. 10. ¶ *Et clamantes voce magna dicentes. &c.*

GRATITVDO eorum exprimitur per vocis contentionem quod magna voce proclament, Deo debitum honorem exhibentes. Sed hoc imprimis obseruandum est, quod vna vox sit omnium eorum qui seruati sunt, qua totam salutem suam Deo & Christo in solidum acceptam refe-

referant. Salus inquiunt ſedenti ſuper thronum Dei noſtri & agno. Nullam hij ſalutis partem proprijs meritis, nullam operibus ſuperogationis, nullam creaturis quam libet ſanctis, attribuunt, ſed omnem eius reſtitutæ gloriã, Deo & Chriſto aſcribunt. Et hæc eſt catholicæ eccleſiæ doctrina, quantumuis eam Romanus Antichriſtus, indicta cauſa damnet hæreſeos, & eius profeſſores ferro, igne, & exquiſitis tormentis, terra marique perſequatur.

¶ *Et omnes angeli qui ſteterunt in circuitu. &c.* *Verſ.* 11.

LICET hanc confeſsionem tota papiſtarum colluuies, vt hæreticam & ſchiſmaticã deteſtatur, habet tamen aſſertores, infinitas angelorum myriades, qui in circuitu throni ſeniorum, & quatuor animalium, aſsiduò Dei nutum obſeruant, vt capite quinto didicimus, hij beatorum ſpirituum epinicion carmen, ſuo aſſenſu approbant. Nã poſtquam qua decuit ſubmiſsione Deo reuerentiam exhibuerint, quam ſolent priuſquam aliquid in illius conſpectũ proferre audent, primum in ſuperioris cantici approbatione pietatem ſuam teſtantur dicẽtes Amen. Deinde eandẽ ſententiam pluribus verbis, vt zelo ſuo ſatisfaciant, exponunt. ¶ *Benedictio & gloria. &c.* *Verſ.* 12.

HVC enim ſpectat hæc congeries, vt omnem omnibus modis, gloriam, Deo ſoli ſe aſcribere teſtificentur. Idcirco eandem rem pluribus vocibus exprimunt, vt ſunt Benedictio gratiarum actio, honor gloria, potentia robur. Nunquam enim nimium Deo in laudibus tribuere poſſumus. Atque hac nota veram Dei doctrinam ab adulterina diſcernere licet, nam quæ metuit Deo plus ſatis tribuere, vt papiſtica, omnino falſa eſt, & Dei infinitam maieſtatem ignorat. Fugiunt enim papiſtæ hanc confeſsionem, vt omnem deo laudem, gloriam, benedictionem aſcribant, ne nihil ſit reſiduum, quod ſanctis, imaginibus, operibus, cæteri sque profanis nugis tribuant.

¶ *Et reſpondit vnus ex ſenioribus dicens mihi. &c.* *Verſ.* 13.

ADMIRABATVR Ioannes, tacitus apud ſe, numerum & ſplendorem eorum qui poſt ſignatos Iſraelitas,

litas, in conſpectum throni venerant, nec tamen audebat interrogare, qui nam eſſent, modeſtè expectãs an dei permiſſu illud ſibi reuelandum eſſet. Huius itaque non quæſtioni, ſed dubitationi reſpondet vnus ex ſenioribus, familiariter eum compellans, roganſque an ſatis intelligeret, qui nã eſſent, qui albis ſtolis induti erant aut vnde veniſſent. ¶ *Et dixi ei domine tu nouiſti. &c.*

Verſ. 14. RESPONDET Ioannes pro ſua ſimplicitate, honorificè (vt mos eſt aliquem dignitate conſpicuum alloquendi appellans Seniorem) ſe ignorare, at ſperare tamen ab eo quem ſcire credit, de ipſorum conditione inſtituendum fore.

„ *ET dixit mihi hi ſunt &c.* Exponit hic Senior primò qui
„ ſint, deinde vnde venerint. Illi ſunt (inquit) qui ex
„ horrenda illa afflictione quæ ſuperius ventura deſcribebatur, Dei beneficio liberati, iã malis omnibus defuncti, in requiẽ beatam vſque ad reſurrectionis diem ſuſcepti ſunt. Eſt hoc profectò portenti ſimile, ex tam graui terræ motu qui omnes mundi partes concuſsit, tantum piorum numerum potuiſſe ſeruari, niſi ſtupenda Dei conſilia noſtri ingenij captum, longè ſuperare fateamur.

„ *ET dilatauerunt ſtolas ſuas. &c.* Duas in veſtibus eorũ di-
„ gnitatis notas conſiderandas proponit, latitudinẽ &
„ colorem, vtrunq; Chriſti beneficio acceptum referre debent. Veſtes latæ & ſinuoſæ nobilium ſunt ſatrapum & magnatum. Hanc verò latitudinẽ in ſanguine Chriſti qui nudus in cruce pependit vt nos ſplendidè veſtiret, conſecuti ſunt. Coloris verò cãdorẽ qui eſt vt diximus dignitatis & innocentiæ ſymbolũ, à rubro agni ſanguine mutuati ſunt. Qui licet ſemper ruber & quaſi modo fuſus maneat, hac tamen admirabili vi pollet, vt coccineum veſtium ruborẽ, in niueum aut lanẽ candorẽ abſtergendo maculas oẽs conuertat. Iuxta illud Iſaiæ. 1. ſi fuerint peccata veſtra vt coccinũ, ſicut lana dealbabuntur. Poſtremò obſeruemus, omnẽ iſtorũ ſplẽdorẽ nõ in corporib' ſuis ſed in veſtibus ſtatui, vt nó propria iuſtitia fulgere, ſed Chri-

ſti

ſti innocentia tanquam ſtola turpitudinē eorum tegi a- Verſ. 15.
gnoſcamus. ¶ *Et propterea ſunt in conſpectu throni dei. &c.*

NON quia proprijs meritis confidant, ſed quia Chriſti iuſtitia velati, ſpecioſi conſpiciantur, audent prodire in conſpectū throni immortalis ac ſemper viuentis Dei. Admirabilis certè eſt huius veſtimenti dignitas, quod eo induti, etſi infirmitatis ſuę conſcij, non metuant tamen in conſpectum Iuſtiſſimi iudicis venire. ,,

ET ſeruiunt Deo. &c. Acceptat deus cultū eorū, q̄ Chri- ,,
ſti innocentia ornati ſint, quo ſine ornamento, nullius illi officium placere poteſt, quin eos oēs è familia ſua tanquam errones & fugitiuos expellet, qui illi ſeruitiū obtrudunt, q̄ boni ab eo conſuli volunt abſq; Chriſto. Nunc verò gratum eſt illi iſtorum obſequium, adeo vt in templo eius, tanquam ſancti ſacerdotes, die ac nocte, hoc eſt perpetuò ei inſeruiant, vt tanquā nunquā profani fuiſſent, ſacra eius procurēt. Diſcamus hinc, quo pacto in eccleſia rationabilem cultum illi acceptum exhibeamus nimirū ſi fœdis carnis noſtræ veſtibus exuti, Chriſti iuſtitiam induti, prodeamus in aſpectum eius. ,,

ET. is qui ſedet in throni obumbrabit eius. &c. Non modo ,,
gratū eſt deo q̄ faciunt ſerui ſui fideles, ſed ipſe domini miſericordis, ac munifici partes in ſe ſuſcipit, cum ſuā viciſſim tutelā ac patrociniū illis largiatur, & tāquā ales pullos ſuos, ſic Deus ſeruos ab omniū malorū incurſibus, ſeruabit immunes. ¶ *Non eſurient neq; ſitient. &c.* Verſ. 16.

QVAMVIS dum in terra militiam Chriſti ſequerentur ſæpe famem, ſæpe ſitim, ſolis ardorem, & alia id genus aduerſa pertulerint, nunc rude donati, & ſacramēto militiæ ſoluti, tales calamitates amplius non experiētur, neque vlla omnino incommoda. Nec male concludunt quidam purgatorianum ignem hīc penitus extingui, cum nullū ardoris genus ſenſuros pios poſt hanc vitā pnunciat hic angelus. ¶ *Quia agnus. &c.*

CAVSA eſt redditio, quia agnus qui redemit eos, in Verſ. 17.
medio throni reſidens, æqualis patri Deo curam

eo-

eorum susceptit, & ad aquæ viuentis fontes perrennes ipsos ducet, quibus satiati, non sitient in æternum. Quin & ipse deus ab oculis eorum lachrymas omnes absterget, cum nulla illis in posterum dolendi causa offeretur, sed gaudio perpetuo fruentur in sæcula sæculorum.

¶ Caput octauum.

RESTAT ADHVC SEPTIMI SIGILli resignatio, quo semel aperto, grauiores quam hactenus auditæ sunt calamitates, in orbem emittendæ sunt. Cum omnium maximè formidabile Antichristi regnũ, vel tyrannis potius describitur. Deinde eiusdem casus prædicitur. Postremò Christi ad iudicium, venientis signa apparent.

Vers. 1. ¶ *Et cum aperuisset septimum sigillum, factum est silentium in cœlo per horæ dimidium. &c.*

QVia omniũ quæ vnquã acciderũt res maximæ, & sũma animaduersione dignę in vltimi huius sigilli apertione manifestãdę erãt, raro quodã & inusitato modo parãd' erat animus eius ad attẽtionẽ. Factũ est ergo silentiũ in cœlo quasi per horę dimidium, quo spatio dum omnia conticescerent, excitaret mentem suam Apostolus, ad diligenter expendendum quodnã in septimi sigilli quod solutum iam videbat reseratione mysteriũ, ecclesiæ pandendum foret. Præterea cum per semihoram suspensus esset illius animus expectatione eorũ, quæ consequerentur nõ potuit nõ diligẽter animo imprimere, quæ auidè scire expectauerat. Quin & silentium hoc ad deliberationẽ Dei referri potest, solent enim principes & sapientes, cũ de

de rebus arduis & maximi momenti negocijs, aliquid ſtatuere, aut proloqui decreuerint, ſilentium aliquod interponere, vt non niſi ex magna deliberatione feciſſe videantur. Non quod Dei conſilia more humanorum, varijs conſultationibus protrahũtur, ſed quod animos noſtros ad attentè conſiderandum, opera ac ſermones eius, talibus ſignis quaſi adminiculis parare velit. Si igitur ea quæ in huius ſigilli ſolutione aperiuntur intelligentia conſequi velimus, animos à mundanis tumultibus vacuos adferamus, rerum aliarum ad tempus omiſſa cura, ad hoc ſolum intenti ſimus, vt ea quæ ſpiritus ſanctus dictauerit, diligenter excipiamus. Scio ab alijs variè ac longè aliter exponi hoc ſilentium, ex quibus non nulli ad frigidas & inutiles ſpeculationes confugiunt: ſed hæc interpretatio quam attuli vt ſimpliciſsima, ita propoſito conuenientiſsima videbatur.

¶ *Et vidi ſeptem angelos qui ſtetерunt coram Deo & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. &c.* Verſ. 2.

TOTA hæc παρασιωπη ad magnitudinem rei exprimendam adhibita eſt. Procedunt primo ſeptem angeli in conſpectum Dei, ſtant aliquantiſper quaſi expectantes, q̃ negociũ illis imperaturus ſit Deus, deinde traduntur illis in manus ſeptem tubę, nec tamẽ ſtatim illis canunt, ſed Dei nutũ in omnibus præſtolantur. Hæc omnia grauitatẽ iudiciorum Dei, quę poſtmodũ manifeſtanda erãt quodãmodo præſagiũt ac portẽdunt. Cæterum ſeptenarius angelorum numerus vt alibi, etiam hîc vniuerſum eorum cætum repræſentat, qui oẽs ad obſequium dei aſsiduò ſunt prõptiſsimi, licet modò hos, modò illos prout illius infinitæ ſapientiæ viſum eſt, ad alia atq; alia negocia peragenda aſsignet. Conſtituũtur autẽ hîc angeli tubicines, q̃ Dei iudicijs in mũdo promulgãdis deſtinãtur. Nã veluti regum ac imperatorum mos eſt, ac ſemper fuit, decreta ſua præſertim bellica, ad buccinę ſonitũ populo promulgare: ita quæ parauit Deus iudicia in hoſtes, & Euangelij contẽtores, cũ manifeſtanda ſint ſuis teporibus, ſimili

simili figura descripsit. Septem autem tubæ omnes Iudiciorum Dei reuelationes significant, quemadmodum numerus septẽarius vniuersalis est, & plenitudinem in scriptis propheticis designat. Cum igitur procedunt septem angeli cum tubis totidem, innuitur omnia suppliciorum genera, quæ septem sigillis inclusa erant, in vltimo hoc sigillo esse repetenda. Non mirum igitur, si tanta præparatione mentes ad attentionem excitantur. Porrò si per angelos buccinatores, doctorum ecclesiæ officium colligere velimus, non absurdè faciemus. Et eo nos ducit analogia, cum eorum etiam munus sit iudiciorum diuinorũ præcones agere. Non solet enim Deus memorabiles plagas in mundum immittere, quin primò per prophetas & doctores earum admoneantur homines, vt ignorantiæ prætextus reprobis auferatur, & si qui sanabiles sunt, ab erroribus quibus seducti vagabantur, ad meliorem mentem redeant vt mala impendentia effugiant.

¶ *Et alius angelus venit & stetit ad altare. &c.*

Vers. 3. HIc angelus Christum repręsentat, qui non natura, sed officio angelus est, ac Malachię, angelus fœderis vocatur. Cum enim omniũ periculosissima instaret persecutio, sub Antichristi tyrannide, quę septimo sigillo soluto reuelatur, prodit in conspectum Dei Christus, ecclesiæ suæ caput & conseruator, quasi ei prospecturus aduersus imminentia pericula. Quo etiam magnitudo periculorum exprimitur, quasi iam necesse sit præsens Christi auxilium adesse, ac velut dubijs rebus consulere, tum singularis Christi amor in suos & cura eorum maxima, qui ingruentibus afflictionibus præsto adest ad eos corã deo subleuandos, & causam ecclesiæ paternæ eius misericordiæ, per assiduas intercessiones cõmendandam. Inducitur autẽ hic sacerdotis summi officio (quod ille est ἀπαράβατον) fungens, cum ad altare constituitur. Quo potest imperpetuũ seruare eos qui per illum ad deũ accedũt, semper in hoc viuẽs, vt intercedat pro illis. Heb. 7. Quod hac figura pulchrè adumbratur. Astat enim altari,

non

non vt ſacrificium expiatorium denuò offerat, quia ſine ſanguinis effuſione nulla eſt pro peccatorum expiatione oblatio. Hoc enim ſacrificio ſemel peracto, quo parta eſt æterna redemtio, nulla eius repetitione opus habemus. Sed cum in ſancta ſanctorum hoc eſt cœlum ingreſſus ſit ſuper aureum incenſi altare, ſuffitus offert in conſpectu Dei, qui ſunt orationes ſanctorum. Hæc enim figura alludit ad ritum veterum ſacerdotũ, qui quotidie in ſanctuarium ingreſsi obferebant incenſum ſuper aureum altare incenſi. Exod. 30. quod nunc ſublatis velis ac interſtitijs, ac tranſlato in ſolum Chriſtum ſacerdotio, migrauit in ſancta ſanctorum in quæ Chriſtus ipſe ſemel aſcendit.

ET data ſunt ei thymiamata multa. &c. Aſsiduæ piorũ preces quas Deo per Chriſtum offerunt, ſunt odoramenta, vel incenſa vt. Cap. 5. Verſ. 8. & multa dicit, quia vrgente afflictione magis viget in fidelibus precandi ſtudium, quod rebus pacatis remittitur. Et hoc eſt illud mundum incenſum, quod vbique terrarum ab ortu ſolis vſque ad occaſum offerendũ prædixit Malachias. cap. 1.

VT daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureũ. &c. In hunc finem offeruntur Chriſto incenſa multa, quæ ſunt preces omnium ſanctorum, vt illis ſuffitum daret, ſuper aureum illud altare quod eſt in conſpectu throni. Hoc eſt vt illius interuentu qui eſt mediator, & aduocatus eccleſiæ, orationes ſanctorum exaudiri mereantur à maieſtate Dei. Docet hic locus, ſatis manifeſtè, non alijs nos egere mediatoribus interceſsionum apud Deum, quam vno hoc angelo, qui eſt Chriſtus, is enim omnium ſanctorum preces, ſolus Deo offert, ac nobis quicquid in illius nomine petierimus præſtiturum patrem pollicetur. Porrò cum ſacerdotale Chriſti munus nullus ſiue angelus, ſiue ſanctus, ſine ſummo ſacrilegio arrogare queat: ſequitur nullum angelorum aut ſanctorum ſuffitus offerre poſſe, ſuper aureum altare quod eſt in conſpectu throni, hoc vno teſtamenti angelo excepto.

¶ Et

Vers. 4. *¶ Et ascendit fumus thymiamatum de orationibus sanctorũ. &c.*

SIGNIFICATVR effectus huius oblationis, q̃ sanctorum orationes in suffitum accensæ per Christum, grati odoris sacrificium sunt in conspectu dei. Cum igitur viua & ardenti fide in Christum diriguntur preces ad Deum, non possunt non exaudiri propter Christum qui eas facit acceptabiles.

Vers. 5. *Et accepit angelus thuribulũ & impleuit illud igni altaris. &c.*

SPIRITVM sanctum importunè petentibus pollicitus est Christus daturum patrem, qui cum à filio etiã procedat, post magnũ suffitum orationibus excitatum, mittitur in terram sub specie ignis, ab altare cœlesti accepti, cuius vis in verbi prædicatione, fidei constantia, inuicta patientia, alijsque donis eius planè cœlestibus, ignea, vel si q̃uid igne penetrantius cernitur. Et copia eius magna per impletum thuribulũ significatur. Nam apud Isaiam vnus ex Seraphim prunam forcipe arreptam, labijs prophetæ applicuit, vt sublata peccatorum eius indignitate, idoneus esset ad perferendum dei nuncium. Hìc verò ingens ex auro thuribulum, quo omnium sanctorum preces offeruntur, igne impletur, atque in ecclesiam in terra peregrinantem mittitur, iuxta illud Christi: ignẽ veni mittere in terram. Luc. 12.

» *Et factæ sunt voces, tonitrua, fulgura & terræ motus. &c.* Nõ
» potest esse spiritus sanctus in mũdo, quin mũdũ arguat de peccato, iustitia, & iudicio, ac tunc illæ turbę oriantur, vt cœlum terræ misceri videatur, sed interim bene cautũ est ecclesiæ, quod aduersus imminentes Antichristi grauissimas persecutiones, diuino præsidio munita, nullis aduersorum fluctuum tempestatibus obruetur.

Et septẽ angeli habentes septem tubas parauerunt se vt. &c.

Vers. 6. POSTQVAM prospectum esset ecclesiæ saluti, ne sub tanto malorum onere succumberet, accingunt se illicò angeli septem ad clangendum tubis, vnde colligere prõtum est, cohibitos fuisse prius, quãdiu pro ecclesiæ incolumitate intercederet Christus, & donis ad omnes aduersos

uersos casus perferendos, fideles instrueret. Quod licet assiduò ab eo fiat, tamē satis erat semel ostendi in visione.

¶ *Et primus angelus tuba cecinit. &c.* *Vers. 7.*

CVM reuelatur vnum quodq; iudiciorum Dei, angelus tuba clangens præit, ac deinde sequitur visio, quæ rem totam aperit. Tubæ igitur clangor, signum est, deum velle aliquid promulgare, quod ab hominibus qua decet reuerentia & attentione, suscipiendum est. Et notat hijs figuris progressus & incrementa Antichristianæ tyrannidis, quę per totum terrarum orbem iusto Dei iudicio obtinebit, vt scribit Paulus 2. ad Thess. 2. Qui veritatis dilectionem non susceperant, vt salui fierent, mendacijs fallerentur vt perderentur. Similibus allegorijs vsus est in sigillorum apertione, & posteà vtetur in phialarum effusione. Cap. 16. cum ad totum corpus & omnes eius partes sententiam Dei pertinere intelligit: enumerat igitur terram, plantas, mare, fluuios, cœlum, aërem, & cuncta quæ in eis sunt, ne quicquam saluum, aut intactum manere videatur. Hæc ideo prœmoni, ne nimis anxiè subtiles expositiones in singulis vocib' quæramus, cum intelligimus morem esse prophetæ, & in hac visione sæpe vsitatū, cum generalem aliquam calamitatem velit describere, omnes mundi partes ad istum modum recensere. Subsecuta est inquit clangorem primi angeli, grando, quę cum arborum fructus & telluris messem proterere soleat, magnam famem & penuriam rei frumentariæ inferre consueuit. Hic vero non grando sola, sed igneæ simul flammę decidunt, & sanguis admistus magis horrendam plagam facit. Nam si quid grando non deijcit, ignis consumit, aut sanguis corrumpit & putrifacit, vnde infert, tertiam partem arborum, & omnem herbam viridem fuisse cōbustam. Capite sexto in quarti sigilli apertione ostentum est, datā esse morti, quinciā vt gladio, fame, peste, & feris quartā hominū partē interficeret: hic verò ad tubarū clāgorē, tertia pars affligēda prædicitur & cū illic caritas tan-

tum annonæ significetur, vt chœnix tritici veniret denario, hîc maxima pēuria designatur, cū omnis herba viridis exuritur. Quo latius extendi calamitates has colligitur, cum maior sit tertia pars quam quarta, & grauior annonæ inopia quam caritas. Nisi forte ad tertiam mundi partem alludit, quia in Europa quæ tertia orbis pars censetur, Antichristi tyrānis præcipuè grassatur. Veræ ac syncerę doctrinæ defectus, qui per hominum traditiones & inutiles ceremonias, licet prima institutione non planè impias, longa temporum serie inuectus est in ecclesiā, dum maiorum placitis tuendis, quam Christi ipsius præceptis obseruandis, maxima pars hominum intenta esset. Hinc omnium grauissimam famen induci necesse erat. Animæ namq; nisi verbi diuini succo indies saturentur, arescunt instar herbarum, quas ignis sacer afflauit aut æstus nimius exussit. Postumus hîc etiam varias simul admistas plagas non incōmodè intelligere, vt per grandinē famem, per ignem pestem, per sanguinem bellum, sicut testantur historiæ, omnia hæc mala principio Romanæ tyrannidis in mundo exarsisse. Sed cū duo posteriora mox iterum occurrunt, prior interpretatio mihi magis arridet. Interim nō nego per corporeas illas clades, debuisse admoneri pios, quale esset illud Antichristi regnū, quod talibus auspicijs ceptum est propagari.

¶ *Et secundus angelus tuba cecinit*
& quasi mons, &c.

Vers. 8. AD secundæ tubę sonitum qui secundum Dei iuditium manifestandum admonebat, visus est cadere in mare quasi ingens mons igni ardens. Horrendum sanè spectaculum, & terroris plenum. Et tali profectò symbolo opus erat, ad describendum Antichristi regnum, quod spiritualis alimenti defectum proximè consequitur. Significat enim mons hic magnus, Antichristi regnum, vt tritum est in prophetis per montes regna aut respublicas notari, vt apud Esaiam & Danielem. Per mare quæ

est

est aquarum multarũ collectio, etiam in hoc libro intelligit spiritus sanctus, populi multitudinem infinitam, in nationes, in tribus, in linguas distinctam. Totus ardet hic mós, igne vorante quicquid proximũ accesserit. Vt enim corrumpit ac in cineres consumit, materiem sibi admotam, ignis, haud aliter Antichristi lues, omnia exedit, rapit, ac deuorat. Et quamuis in mare proiectum nõ extinguitur, sed tertiam potius maris partem in sanguinẽ bullientem conuertit. Et deijcitur ab irato Deo in mundum hęc pestis, quod feracissimum montem Sion, id est regnũ Christi, non tulerit. Cogitur igitur ferre grauissmam Antichristi tyrannidem, qui suauissimum Christi iugum portare recusauerat.

¶ *Et mortua est tertia pars creaturarum* Vers. 9.
quæ in mari erant. &c.

CVM vitam æternam mundus per Christum oblatam, pertinaciter respueret, non potest effugere mortem quæ ab Antichristi regno plurimis infertur acerbissimã. Hîc autem obseruari potest, quantitas, qualitas. & effectus regni Antichristiani. Quantitas notatur quod maximo monti cõparatur, quæ eo deterior est quo latius patet, vt cum Romanenses fines imperij sui vltra Sauromatas & vtrunque polum protẽdi gloriantur. Qualitas depingitur, q̃ instar ignis edacissimi omnia adurat, perdat, exterminet, licet extra montem illum, nullam esse salutem conductitij rabulæ vociferentur. Effectus narratur, quod tertiam maris partem mutet in sanguinem. Quantum vero sanguinis effuderit, per varia tormentorum genera, & præcipuè per ignẽ, vt superiora tempora ommittamus, nostra ætas vidit, & nos ipsi quotidiè oculati testes sumus. Porrò quę bella, & quam atrocia excitauerit prẽteritis sæculis tacebimus. Nostro æuo, quos tumultus in Germania, Gallia, Hispania, Belgio susciteuerit, quis est per totam Europam qui ignoret? In Britannia

verò quid molitus sit, hoc anno præsenti quo hæc scribimus, vtinam tam promtum esset auertere, quam facile est meminisse, vt rectè tertiam partem degentium in mari, & nauium per quas oppida, aut vrbes intelligere licet, perdidisse dicatur, sed tandem igneus hic mons, in igneum lacum proijcietur. Quod quam citissimè fieri omnes pij exoptant.

Vers. 10. ¶ *Et tertius angelus cecinit tuba, &c.*

TERTIO angelo clangente decidit è cœlo princeps & caput ignei huius montis sub figura magnæ stellæ, ardentis sicut facula. Olim Romanus episcopus fulgebat in cœlo cœlestis doctrinæ radijs conspicuus, postquam verò paulatim in externum dominatum degenerasset (de qua defectione plus mille retro annis conquesti sunt veteres) cæpit è cœlo cadere versus terram, donec tandem ad superbiam & tyrannidem suam stabiliendã omnem puriorem doctrinam, suis commentis inficeret, & sic tandem in tertiam fluminum & fontium partem decideret.

Vers. 11 ¶ *Et nomen stellæ vocatur absynthium. &c.*

NOMEN sortitur ab effectu, quia dulces puræ doctrinæ latices tanta veneni sui amaritudine infecit, vt aquas in quas inciderit, reddat mortiferas, adeo vt quotquot eas hauserint, nisi maturè adhibeatur antidotum, æterna morte interimantur. Vocantur autem amaræ aquę, quas stella hæc infecit, non sensu aut iudicio carnis, cui mel potius resipere videntur quam absinthium. Sed Spiritus Dei, qui omnia explorat censura, deprehenditur hæc amaritudo. Quod facile agnoscunt omnes pij, qui ex pestifera illius doctrinæ potione erepti sunt, quam nullus sit gustus cœlestis & spiritualis suauitatis in papatu, sed mera conscientiæ carnificina, & omnia amarissima, vbi quis è somno securitatis, quo maior pars eorum stertit paulum excitatus sit, & peccatorum suorum sensu cõpunctus. Discamus,

mus hinc, nullam absinthinæ huius aquæ, id est, papisticæ doctrinæ guttam, puro Christi Euangelio permiscendam, ne pestiferam hanc amaritudinem sapiat.

¶ *Et quartus angelus tuba cecinit & percussa est tertia pars solis. &c.* *Vers.* 12.

DOCTRINA corrupta pestiferis hominum inuentis quid salui restare potest ecclesiæ? Solis, lunę, & stellarū tertia pars caligine densa, & obscuritate percussa est, eis nimirum qui in tertia hac parte, quam occupauit Antichristi regnum habitant. Hinc fœda illa ignorantia, iusto Dei iuditio, tanquam opaca nubes in oculos eorum immissa est, qui ad lumē scientiæ sponte cæcutierāt. Hinc dies tertia sui parte obscurato sole obtegitur. Nox etiā oppressis caligine luna, & stellis, tertia parte adeo obscuratur, vt nulla ad fugandas tenebras lucis scintilla appareret. Vt breuis sim, densissima ignorātiæ nubes quæ magnam partem cœlestis lucis auferret, mundo incubuit. Et miramur si papicolę, ignorantiam matrem suæ religionis esse gloriantur? cum grauissimam quæ postea exponitur defectionem hæc obscuratio præcesserit. *Vers.* 13.

¶ *Et vidi & audiui vnum angelum. &c.*

LICET horrēda planē sint dei iudicia quæ quatuor tubarum clangore, hactenus reuelata sint, multo tamen grauiora restant. Quæ quidem tam atrocia sunt, vt noua admonitione excitari nos oportuit ad ea diligēter cōsiderāda. Vidit igitur Ioannes angelum quendam per medium cœli volantem, vt tam à cœlo quam à terra exaudiri posit, quem alta voce væ tér ingeminantem audit, hijs qui inhabitant terram, ab eorum iudiciorum seueritate quæ adhuc reuelanda manent, clangoribus trium tubarum reliquarum. Hîc nisi lapides essemus, iudiciorum dei pondus torporem nobis excuteret, & ad ea reuerenter suspicienda excitaret, vt ex tantis calamitatibus erepti seruiamus ei inperpetuum.

¶ Caput nonum.

DESCRIBITVR HOC CAPITE horrenda regni Antichristiani confusio, quæ partim dolo, partim vi confirmatur, donec ad summum peruenit, euāgelij restitutione manifestanda & aduētu Christi tandem penitus abolenda.

¶ *Et quintus angelus clanxit, & vidi stellam quæ de cœlo ceciderat. &c.*

Vers. 1. CVM participium sit præteriti temporis πεπτωκυῖα non πίπτουσα. Intelligo eandem fuisse stellam quæ prius ceciderat in fontes & fluuios, cui Absinthij nomen impositum erat, quam caput huius ecclesiæ pontificem Romanum significare supra diximus, quod si quis non eandem numero fuisse contendat, eandem autem officio fuisse retineo, licet enim plures numero sint papæ, omnes tamen vnum Antichristi caput constituunt, quod præest monstroso corpori Romanæ ecclesiæ. Quanquam igitur olim fulgeret in cœlo Romanus Antistes velut stella in manu Domini, nunc verò ad terram deiecta, omnem splendorem amisit. Ridiculum est igitur quod iactat papa, sedis suæ dignitatem, qualis à veteribus agnita sit, & antecessorum suorum primitiuæ ecclesiæ martyrum virtutes commemorat, quæ omnia ad ipsum, qui sede cœlesti deturbatus est in terram, nihilo plus spectant, quam si Diabolus de principatu suo, quem inter angelos quondam obtinebat, & quo iam diu, depulsus est, gloriaretur.

" *ET data est ei clauis putei. &c.* Iactat Antichristus re-
" gni cœlestis claues, olim Petro commendatas, easque summo sacrilegio, sibi vni, cum sint omnium ministrorum verbi communes, rapit & vendicat. Sed qualis reuera clauis illi tradita sit, Ioannes aperte docet, nimirum infernalis putei. Vt quemadmodum pijs ecclesiæ doctoribus,

ribus, data est potestas aperiendi cœlum; ita Antichristo eiusque ministris, infernalis putei reserandi, concessa est facultas. Notemus hîc non temerè, nec inuito Christo, aduersariam potestatem obtinere in mundo, sed ipsius voluntate & arbitrio, ad pœnas horribiles de profanis veritatis contemtoribus sumendas.

Vers. 2.

¶ *Et aperuit puteum abyssi. &c.*

CONCESSA sibi clauę, non segniter vtitur Antichristus, quin ea statim accepta, obseratum abysi puteum, recludit. Docet hic locus, quam diu viget pura euangelij doctrina, clausum esse infernum, postquam verò ea conticuit, vel profanis hominum commentis infecta & obscurata est, (vt præcedenti capite ostendimus) profundissimus inferni puteus apertus est, ex quo omne malorum genus exhalat. Videmus itaque non immerito væ habitantibus terram intonuisse angelum, cum ad eorum perniciem inferni puteus aperiendus esset.

ET ascendit fumus. &c. Aperto inferni puteo, duo mala omnium deterrima ascendunt, ignorantia, & error. Per fumum enim qui aërem & solem obscurat, ignorantiam intelligo, per locustarum agmem, errorũ magistros. Nam quæ prius tertiam tantum cœli partem occupauerat ignorantia, nunc ascendente fumo, ex inferni puteo, totum solem & aërem obscurat caligo. Quam verò crassa ac pudenda fuerit, superiorum sæculorum insciția, nemo nescire potest, qui illorum temporum barbariem ex scriptis eorum gustauerit.

Vers. 3.

¶ *Et ex fumo ascenderunt locustæ. &c.*

AIVNT locustas ex corrupto fumo nasci, quod si recipimus, ignorantiam esse errorum matrem innuitur. Vtcunque est, quod ex fumo prodeant locustæ, errorum magistros ex ignorãtia plebis, ansam arripuisse spargendorum suorum dogmatum manifestum est. Et non secus ac locustarum examina, totas sępenumero regiones infestant, ita horum cateruæ, omnia inficiunt, corrũpunt, depascũtur. Per locustas enim oẽs clericorũ, monachorũ,

& præcipuè mendicantium turbas, significari verisimile est.

„ „ *Et data est eis potestas. &c.* Non possunt hæretici aut im-
„ „ piorum dogmatũ assertores, suũ virus disseminare, nisi quatenus concessa est illis facultas, in eos qui pereunt. Comparatur verò hæc eorum nocendi potestas, scorpiorũ veneno, quod licet exiguum sit, & animalculũ ipsum minimæ quantitatis, satis tamen habet virium, ad hominem interficiendum. Pungũt etiam occultè, tanquã scorpij, quia occultis fraudibus se insinuant, donec lętalem ictum dederint. His per omnia similes sunt clerici papales, præcipuè vero fraterculi mẽdicantes, qui ob fucatam humilitatis laruam, parui in speciem vidẽtur, spicula tamen venenata suorum errorum, latentur infigunt, & homines interimunt.

Vers. 4. *Et dictum est illis, ne laderent. &c.*

SVPRA audiuimus prohibitos fuisse quatuor angelos ne terræ, mari, aut arboribus nocerent, priusquã obsignati essent serui dei in frontibus, similiter his locustis vetitum est ne gramini, virentibus herbis, vel arboribus nocumentum adferrent, sed solis hijs hominibus, qui Dei sigillo in frontibus signati non essent. Quo admonemur, nõ valere Satanæ præstigia, vel Antichristi dolos, ad seducendos electos, qui instar stirpium virẽtium, cœlestis doctrinæ rore irrigati, ab adurentibus omnia locustis conseruantur. Ps. 1. Enumerantur autem diuersæ plantarum species, gramẽ, herbę, arbores, vt omnes ad vnum electos ab hac peste exemtos esse sciamus: in quibus licet variè operetur Deus, vt in diuersis plantarum generibus, vnicum tamen est fundamentum, nouit deus qui sunt sui.

Vers. 5. *Et datum est illis vt non interficerent homines. &c.*

TRADIT Plinius naturalis historiæ libro. 11. cap. 25. q importuna sit pestis veneni scorpiorum, nisi quod grauiore supplicio lenta per triduum morte, conficiunt. Merito igitur scorpiorum ictibus confertur horum papæ satellitum peruersa doctrina, quæ nõ violenta morte homi-

nes

nes ſtatim interimit, ſed diris tormentis aliquandiu excruciat & tandem vitam æternam aufert. Tales ſunt perſuaſiones de operum meritis, ſatiſfactionibus, purgatorij pœnis, & id genus alijs, quibus miſeras conſcientias excarnificant locuſtæ & quæ ſolæ in pulpitis, lectionibus, confeſſionibus auricularibus ſonabant, cum interim de Chriſti meritis, gratuita iuſtitia per fidem, æterna electione, aliiſque dogmatis, quæ toties in ſacra ſcriptura occurrunt, altum eſſet ſilentium. Præfigitur autem illis tẽporis ſpatium, quo nocendi facultas permittitur, quinq; menſibus quod ad piorum conſolationem additum eſt, ne ſemper incrementa ſumturam hanc peſtem metuant, ſed quod ante medium anni tempus, vis eius abrũpenda ſit. Si verò ſubtilius interpretari volumus, quinq; ſæculis graſsabitur hæc lues, ſexta verò ætate, quæ vltimã mũdi conſummationẽ præcedit, deficiet, quod noſtro ſæculo accidiſſe videmus, vt vbique ferè, ſit contemtui clerus papiſticus, etiam apud papiſtas, & tandem haud dubio, in nihilum redigetur. 5 menſes.

¶ *Et in diebus illis quærent homines mortem. &c.* Verſ. 6.

CVM lenta morte conficere ſcorpios iſtos, ſuprà accepimus, non mirum ſi ab illis perculſi, & diris tormẽtis cruciati, citius mori cupiẽt, quam illis ex vi veneni cõcoctitur. Qua ſententia exprimitur magnitudo tormentorum, quibus miſeras hominum conſcientias laniant papiſtæ, ſuis venenatis dogmatibus, tanquam ſcorpiorũ ſpiculis: quæ cum à Chriſto penitus abducant, in quo ſolo piæ mentis ſolatium conſiſtit, nihil illis reſtat præter gehennæ metum, & horroris plenam deſperationem.

¶ *Et ſimilitudo eorum. &c.* Verſ. 7.

HACTENVS de venenatis eorũ viribus diſſeruit. Nũc vt eos facilius agnoſcamus, ſuis coloribus egregiè depingit. Corporum inquit forma, ſimilis eſt equis ad bellum paratis, quo mores papales cleri pulchrè deſcribũtur, quod inſtar equorum celeri curſu per omnia diſcurrant, & ſemper ad pugnas & rixas, ſunt paratiſsimi, ſi quis

illis quouis modo contradicat. Gestant in capitibus coronas, quasi ex auro, quia omnes licet abiectissimi nebulones, regiam quandam dignitatem sibi vendicant, & in precio haberi volunt, nec ciuili magistratui subijciuntur, cum tamen sint, viles locustæ, nulla virtute, eruditione, pietate, nobiles, ad nihil nisi ad nocendum vtiles. Horum tamen nutu, olim gerebantur omnia, cum eos mundus, tanquam reges suspiceret & reges ipsi (vtpote suorum arcanorum per confessionem conscios) metuebant.

" *ET facies eorum. &c.* Non sunt terribiles aspectu, sed humanis vultibus, blandè intuentur, & alliciunt homines
" in suam ipsorum perniciem. Sunt enim assentatores maximi, qui sui quæstus gratia, & vt potentiores erga se propensos reddant, turpissimè adulari non erubescunt.

¶ *Et habebant capillos, vt capillos mulierum. &c.*

Vers. 8. MOLLICIES notatur, & effrenata libido monachorum, ac clericorum papisticorum, quæ nullis pudicitiæ frenis, aut naturæ legibus contineri potuit, quin omnia perrumperet. Deinde taxatur ornatus eorũ plusquam muliebris, ac cæteræ meretriciæ artes, quibus mortales ad inhonestos sui amores pertraherent. Nũquam enim adeo cæcutiret mundus, vt eos magni faceret, nisi suis lenocinijs, ac philtris hominum animos, fascinarent.

" *ET dentes eorum vt leonum erat. &c.* Quantumuis humano
" ac fœmineo vultu, blandè aspiciunt, dentes tamen habent instar Syrenum, leonum dentibus duritia & rapacitate conferendos. Testes sint villæ, domus, agri, latifundia, & quicquid præterea mundus habet, quæstuosum, aut voluptati inseruiens, quæ omnia istæ locustæ dentibus suis in suum cibũ contriuere. In summa nihil est illis voracius, qui licet corpore exigui videantur, dentium tamen duritia, omnia vicina absumunt. In nostra Britannia mediam ferè partem, omnium agrorum possidebant, & cum lege cautum esset ne sine principis venia, plures

agri

agri hereditarij, in illorum manus traderentur, in suas ipsorum possessiones clerici leoninos dentes immiserunt. Et monachi vt voraciſsimi opima quæque beneficia ad se pertraxerunt, cuius voracitatis damnum adhuc bonis pastoribus orbata sentit ecclesia.

¶ *Et habebant thoraces vt thoraces ferri. &c.* *Vers. 9.*

TANTO principum, tum ecclesiasticorum, tum ciuiliū, fauore & patrocinio de fensi sunt, vt pectora nullis telis penatrabilia habere videantur, audeantque quoslibet in certamen prouocare.

ET *vox eorum. &c.* Licet humana facie præditi, non tamē hominis vocem ædunt, sed instar locustarum, quas maximè referunt, alis horrendum stridorem emittunt, similem sonitui curruum qui equis multis trahuntur, in bellum. Sic isti boant in tēplis terribili sonitu, sed sine mēte vociferantur. Interdū in pulpitis etiā magnos sonitus ædunt, sed sine ratione, vt meritò non humano ore loqui, sed alis horrendum stridere dicantur.

¶ *Et habent caudas similes scorpijs. &c.* *Vers. 10.*

ANTEA pestiferam eorum nocendi potestatem scorpionibus contulit, sed cū tam oēs eorū partes accuratè recenset, indicat caudis etiam scorpiorum, armatas esse locustas, quibus occultum virus latenter injiciunt, & venenatos aculeos, cum non aduertas, subito infigunt. Deinde repetit ad tempus breuius, illis quam cuperent, lædendi facultatem concessam, nō enim vltrā quinq; menses orbem infestabunt.

¶ *Et habent regem super eos. &c.*

VT intelligamus cui regi militet, ingens hic locustarū exercitus, regem eorum dicit angelum esse abyssi, qui est ipse Satanas, & papa vicarius eius, cui nomen à perdendi studio Hebraicè & Græcè impositum est: vocatur enim hebræis ABADDON Græcis verò ἀπολλύων, quæ vox Latinè perditorem significat. *Vers. 11.*

¶ *Vnum*

¶ *Vnum væ præterijt & ecce duo. &.*

Vers. 12. INDICAT Ioannes, hanc locustarum pestem primam esse ex horrendis illis tribus iudicijs, quæ angelus restare dixit. Et horrendum est hoc iudicium Dei, quod tam viles bestias, per venenatos dolos, hominibus insultare sinit, in æternam ipsorum perditionem. Sequuntur autem adhuc duo alia iudicia hoc grauiora.

¶ *Et sextus angelus cecinit tuba & audiui vocem magnam. &c.*

Vers. 13. QVo grauiora instarent pericula, eo maiorem attentionem moueri conueniebat, vt admoniti fideles contra tentationes acerbissimas sese armarent ac instruerent. Sexto igitur angelo clangente, qui omnium acerrimam persecutionem quę futura sit ante mundi consummationem prędiceret, audit Ioannes vocem ex quatuor cornibus altaris aurei quod est coram deo. De aureo altari quod Christum significat qui Deo in sacrificium grati odoris oblatus sit ante diximus, cuius sacrificij vis, & effectus quia perpetuò manet, ideo altare semper in conspectu throni collocatur. Vox autē reddita est è quatuor cornibus, hoc est ex summa parte altaris, vt Christi vox esse qui altari præest, agnosceretur.

¶ *Dicentem sexto angelo. &c.*

Vers. 14. INTONVIT vox ista angelo sexto, qui tuba cecinerat, vt quemadmodum nuncius extiterat tantæ cladis, ita minister esset eiusdem promouendę. Solue inquit quatuor angelos, qui vincti sunt ad magnū Euphratis flumium. Quatuor angeli vniuersam diaboli potestatem designant, quam exerit in Antichristo eiusque tyrannide, in quatuor orbis partes propaganda. Quę tamen huc vsque cohibita fuit, ne in summam crudelitatem prorumperet, nunc autem ad tempus frena illi laxata sunt. Locus summæ consolationes plenus, quo docemur, quod Christus qui est patronus noster, diabolos teneat vinctos pedibus manibusque, ne ecclesiæ nocere possint, aut persecutionē vllam mouere, nisi quatenus ipse permittit. Verum sub obscu-

obscurum videtur, quod ad fluuiũ Euphratis ligatos dicat maleficos angelos, cuius variæ sunt interpretationes. Ego dũ oĩa expendo, locũ designari puto, paulò obscurius, qui postea manifestius describetur è quo pestis hęc in totum orbem profunditur. Euphrates enim absque figura, fluuius est Babyloniam circumfluens, quæ per metaphoram in hoc libro Roma dicitur, vt clarius in sequentibus ostendetur. Hunc igitur sensum elicio, fuisse ante hoc tempus Romæ (quæ sedes est Antichristi) ecclesiam ferro & igne vastandi studium, nec defuisse artes quibus nefarium opus aggrederentur. Omnia denique instrumenta belli parata. Sed rabiem hanc cœlitus fuisse refrenatam per Christum, ne ante constitutũ à Deo tempus sese mundo proderet.

¶ *Et soluti sint quatuor Angeli qui parati sunt in horam & diem & mensem. &c.* *Vers.* 15.

CHRISTO Iubente, soluti sunt, quicquid igitur soluti gerunt, quatenus iustum Dei iudicium exequantur, Christo ascribendum est. *Parati dicuntur ad horam & diem. &c.* Quo non solum eorum promtitudo animi exprimitur, qua sunt ad nocendum propensi, sed multo magis certum & suis etiam momentis definitum à Deo tẽpus, quo ipsis ad hunc modum grassari licet. Et breue admodum spatium illis concessum notat, quod horam, diem, mensem, & ad summum annum vocat.

VT interficiant tertiam hominũ partem. &c. Ante ad quinti angeli clangorem, occultis dolis ac fraudibus locustæ cum suo rege Abaddone, magnam hominum partem pestiferæ doctrinę veneno per longa tormenta interficiebant: iam verò aperta vi & crudelitate, ad humanum genus vastandũ, ac ferro & incẽdijs, tertiã hominũ partẽ interimẽdam, emittuntur spiritus malefici. Quã verò nõ segnes fuerũt in cõmissa sibi facultate exercenda, & quas clades dederũt, tota Europa Romani põtificis tyrannide op-

oppressa, extremis his temporibus, plus satis sensit ac adhuc sentire cogitur. Hanc verò tragœdiam malorum angelorum auspicijs cæptam, ab ijsdem adhuc agi nouimus, licet iam ad catastrophen, fabulam vergere speremus.

¶ *Et numerus exercitus equestris. &c.*

Vers. 16. DOCET iam quibus medijs & instrumentis, quoque bellico apparatu instructi sunt, vastatores angeli, vt tantam hominum stragem ædant in mundo. Totum nimirum exercitum esse equestrem, quo robur & vis maior copiarum significatur. Quanto scilicet equestris turma, peditatu est in bello terribilior & violentior. Deinde accedit numerus copiarum, pœnè infinitus, duæ myriades myriadum, quem numerum se audisse Ioānes disertè exprimit, quia fidem superare videtur, vt tantus exercitus ex toto orbe cogi possit. Sed per ingentem hunc exercitum, non vnius sæculi, sed multorum copiæ portenduntur. Atq; hæc est illa toties iactata Romanę ecclesiæ multitudo, quam constat à malis dæmonibus conscribi, in militiam aduersus Christū & illius ecclesiam. Verum numerosus hic exercitus, nullo labore retrahetur, ab eo, qui angelos eius ductores è carcere solutos emisit, quos vbi velit, reuocare in custodiam potest, idque breui post reuelatum iam diu Antichristum, præstiturum esse confidimus.

¶ *Et ita vidi equos in visione. &c.*

Vers. 17. PERGIT Ioannes equestres copias quales sibi in visione oblatę essent, describere. Est autem tota illorū descripsio horroris ac terroris plena. Ne enim naturales equi, aut vulgares equites putentur, longè aliam formam tum equorum tum insidentium illis, in visione sibi obiectam indicat. Habebant equites thoraces igneos, hyacinthinos, & sulphureos, quo innuitur fuisse pectora eorum, aduersus omnem vim telorum adeo munita, vt nihil metuerent, imo quocunque se verterent nihil aliud quam ignē, fumos, & sulphur præseferrent, ita enim hyacinthinum colorem interpretor, propter id quod sequitur

tur proxima clauſula. Vt enim equites cataphracti, geſtare ſolent in pectore aut clypeo, colores aut inſignia quæ terribiles eos hoſtibus reddant: ita milites iſti Antichriſti, flammeos, fumeos, & ſulphureos colores, oſtentantes in pectore, perſpicuè omnibus manifeſtum reddunt, quid minentur orbi, nimirũ, incendia & flãmas, id eſt extremam internecionem.

ET equorum capita. &c. Monſtroſa ac horrenda fuit equorum forma, vt pote qui præter velocitatem equinam, leonum etiam capita & vires haberẽt, & quod ſuperat leonum truculentiam, qui ſolis dentibus ac vnguibus cędunt, ore (inquit Ioannes) ſpirabant ignem, fumũ, & ſulphur. Atq; his figuris, monſtroſa ac immanis Antichriſti tyrannis, depingitur, quæ ſuperbiæ ſuæ nefandam ſedem, aperta vi tuetur, & atrocia bella gerit aduerſus omnes qui vel digitum contrà illius arrogantiam moueriut.

¶ Ab his tribus tertia pars hominum interfecti ſunt. &c. *Verſ. 18.*

CERTISSIMA & præſentiſſima morte interimendos ſignificat, qui eius tyrannidi quoquo modo ſe oppoſuerint. Nã ignis citò deuorat, fumus ſuffocat, ſulphur miſerè torquet, quos adurit, nec extingui poteſt cum ſemel exarſerit. Talis futura eſt Antichriſti ſæuitia atq; crudelitas, vt non gladio vulnerare, ſed igne penitus abſumere ſoleat, fumo excæcare oculos, ſpiritũq; auferre, & ſulphurea flamma truculenter torrere: Hiſque malis tertiã hominum partem læto dedit, per ſuos ſatellites, equites ſulphureos, & leoninos equos, hoc eſt ſubditos illi principes & furioſam plebem, quæ inſtar equorum, Antichriſti mancipia portant, & pro dominorum ſuorum libidine, omnia fumo, ſulphure, & incendijs complent.

¶ Nam vires ipſorum in ore ipſorum & in cauda. &c. *Verſ. 19.*

LICET quædam exemplaria non habent hæc verba (& in cauda ipſorum) mihi tamen addenda videntur ex alijs exemplaribus in quibus reperiuntur, aut ſaltem intelligenda eſſe, nam ſenſus hic eſt. Exercitum hunc manife-

nifesta vi & quasi aperto Marte aduersarios suos lacessere, nec tamen doli fraudisque esse expertem, quod non cernebatur in locustis, quę astu & dolis tantum seducebant. Hi vero ore cruento, fumum, ignem, & sulphur exhalant: nec tamen desunt illis insidiæ, quia caudas etiam habeant instar serpentium, quæ & ipsæ habeant capita quibus serpentū more clam mordeant incautos. Magis tamen nocent capitibus, quam cædis, vi quam dolis, quia fraudes eorū minimè latent homines quam plurimos, at vim & crudelitatem eorum ferre non possunt, itaque aut cæduntur miseri, aut cedunt ignaui.

¶ *Et reliqui homines. &c.*

Vers. 20. DOCET mundum his plagis castigatum, nolle tamen ad meliorem mentem reduci. Qui enim supererent ex his calamitatibus, nulla scelerum suorum pœnitentia perculsi sunt, vt à prauis eorum operibus discederent. Simulabant fortitā dum eos mala vndique vrgerent, sed mera hypocrisis erat, quod iactabant. Simul enim ac remissa esset afflictio, redierunt ad ingenium & solitis impietatibus se totos dediderāt. Dæmonia adorabant, idola ex quauis materie confecta colebant, quamlibet cęca, surda, immobilia, ab his salutem sperabant. Est autem obseruatu dignum, vt omnem Idolorum materiam enumeret Apostolus, tum vt hominum vanitatē notet, quod in qualibet creatura diuinitatem quæreret potius quam in Deo, tum vt nullius generis Idola, habenda in precio ostenderet.

¶ *Et non egerunt pœnitentiam. &c.*

Vers. 21. NON possunt esse secundæ tabulę obseruantes, qui Deum tanta ignominia afficiunt, vt Paulus ad Romanos. 1. Quocirca taxat non solum eorum Idololatriam, sed etiam cędes, incantationes, furta, aliaque id genus flagitia. Et videmus iuxta hanc prophetiam nihilo cautiores factos homines, propter plagas quibus orbem terrarum Deus afflixit, præcipuè propter Antichristi tyrannidem,

rannidem, quam licet ex papistis multi detestentur, non tamen Idololatricam eius religionem deserũt, aut ab impijs eorum moribus, discedunt.

Caput decimum.

VÆ FVTVRA SIT CONSOLAtio ecclesiæ in tantis afflictionibus, describitur hoc capite, cũ introducitur Christus eius patronus, qui verbo salutari, & arcana virtute, eam aduersus omnes Satanæ impetus, sartam tectam conseruabit. ℣ *Et vidi alium angelum fortem. &c.* *Vers.* 1.

ADVERSVS tam graues tentationes armari oportuit fidelium animos ne penitus desponderent, insigni aliqua consolatione. Quomodò enim vilis & imbellis multitudo electorum, vim adamantinam equitum illorũ ferre posset, nisi rara & inaudita spiritus sancti virtute cœlitus essent instructi? Prodit igitur opportunè Christus, speciem & habitum gerens angeli, vt sæpe in hac prophetia, eò quod patris sui cœlestis voluntatem, in protegenda ecclesia fideliter exequitur. Et longè alius à prioribus illis septem tubicinibus angelis describitur, vt qui non tam in vindictam impiorum armatur, quam ad salutem afflictæ ecclesiæ destinatur. Prædicatur etiam summa eius fortitudo, vt non dubitent fideles in eius defensione tutò acquiescere, qui inuicto robore ad omnes aduersariorum impetus frangendos præditus sit. E cœlo descendit, vt opem ecclesiæ in terra militanti, & iam iam sub onere deficienti præbeat. Quoties enim malis opprimimur, cœlũ nobis clausum videtur, & humana imbecillitate metuimmus, ne ingens interuallum nos à Christi defensione disiungat. Nunc igitur descendit è cœlo Christus, vt præsens auxiliũ rebus ecclesiæ afflictis ac pœnè deploratis adferat. Etenim pollicitus est se nobiscum futurum vsque ad consummationem sæculi. Et licet in cœlũ

ascenderit, vt omnia maiestat e sua impleret, nihil tamen impedit, quo minus ad subleuandas, piorum calamitaret, in terram, descendere dicatur. Sic optat Esaias vt Dominus perfracto cœlo descendat in terram, idem sæpe Psalmographus, vnde satis apertè colligimus, Christi in terras descensum, veræ ac solidæ consolationis materiam fidelibus subministrare. Nūquā enim deserit Deus filios suos, quos semel in tutelam susceperit. Es. 64.

INDUTUM nube. &c. Nube indutus, id est, maiestate plenus in terram descendit. Nubes enim non raro diuinæ maiestatis symbolum conspicuum hominibus in scriptura representat, vt nunc vestimēta, nunc currus aut equus Dei appelletur: & veniet tandem seruator in nubibus, cum maximo splendore ad iudicandum viuos & mortuos. Discant hic fideles, purpuram, fasces, trabeam & alia carnis ornamenta, quibus oculi infirmorum non raro perstringuntur, securè contēnere, quoties ad Christi gloriam obscurandam ostentātur. Nullius enim principis tantus splendor vestium, quantus est Christi lucida nube induti.

ET iris in capite eius. &c. Insigne capitis ornamentum gestat, non aureum diadema, non tiaram, aut mitrā gemmis pretiosissimis distinctam, sed arcum pluuium vetus diuinæ misericordiæ erga genus humanū sacramētum. Quo non solum augusta eius magnitudo insinuatur, cuius caput iride redimitum conspicitur, sed infinita etiā clementia exprimitur, quę à mundo condito cæpta erga homines patefieri, omnibus sæculis sui similis durat. Vnde & antiquissimū illud fœderis cū vniuerso orbe icti symbolum gerit, ne curarum, molestiarum, & calamitatum procellis, atque inundationibus vniuersam simul quæ in terra est ecclesiam absorbendam putemus, quoties densa miseriarum caligine, cœlum nigrescere videamus.

ET facies eius sicut sol. &c. Quod sol est mūdo, id Christus ecclesiæ suæ, qui discussis rerum aduersarum tempe-

stātibus

statibus, gratum lucis suæ splendorẽ ei restituit. In tantis igitur Antichristianæ tyrãnidis tenebris, oppidò opportunè sol iusticiæ Christus exoritur fidelibus, cuius suauissimo aspectu recreati, optatum finem ærumnis impositum sperare possunt. Huius virtute fumus ille sulphureus qui ex ore belluarum monstrosarum ejcitur, dissipatur ac euanescit, ne reliquias ecclesiæ, vt homines mundi cæteros suffocare valeat.

ET pedes eius sicut columna ignis. &c. A capite vsque ad pedes describitur Christus insuperabili potentia & virtute instructus, Pedes enim habet quasi columnas ignis quibus conculcabit & in nihilum rediget, omnẽ vim aduersariam. Tam diu enim à dextris Dei sedere debet donec ponantur omnes inimici eius scabellum pedibus eius. Manet ergo omnes impios horrendus exitus, quòd igneis & columnaribus Christi pedibus, conterendi sunt in puluerẽ. Quid poterit aduersus hunc angelũ, rex Locustarũ Abaddon quid duæ myriades myriadum? quid equi Leoninis capitibus horrendi, ignem fumum & sulphur spirantes? quid equitum thoraces ignei, Hyacinthini, & sulphurei? Soli pedes Angeli instar columnarum ignis, omnes hos apparatus facile prosternent.

¶ Et habebat in manu sua libellum apertum. &c. *Vers. 2.*

ALIVS est hic liber meo iudicio, ab eo quem prius habuimus septem sigillis obsignatum, qui arcana dei iudicia per Christum patefaciẽda complectebatur. Hic autem libellus videtur continere eximias illas cõsolationes quæ passim in sctipturis occurrunt, quoties de deo nobis per Christum reconciliato agitur vel vt breuius dicã, promissiones euangelicas, quibus sustentari oportet piorũ mentes ne langueſcant, malis oppresſę, sed ad spem æternæ beatitudinis sese erigant. Exiguo autẽ libello comprehendi dicuntur, quod non per longas & incertas ambages nos circumducant, sed rectà ad thronũ gratiæ per vnicum mediatorem Christũ deducant. In libro scribũtur vt omnibus sæculis extare possint, alioqui satis esset

esset vnius sæculi hominibus eas prædicasse. Apertus est hic libellus, quia omnibus proponitur euangelij doctrina, licet susciptatur à paucis: tollitur igitur omnis ignorantię prętextus cum liber apertus nobis demonstratur: Deinde habent in promtu fideles, quo se mutuò consolentur, cum è libro aperto haurire quod in rem suam esset, nemo vetat. Solus autem Christus has cósolationes nobis porrigit, vt meritò Angelus sua manu librum tenere dicatur, quę posteà petenti Ioanni comedendũ tradat.

„ *Et posuit pedem eius dextrum super mare, & sinistrum super* „ *terrã. &c.* Admirãda eius magnitudo, denotatur, quod altero pede calcat mare, altero pede terram. Tum vero regni illius amplitudo significatur, quod terra marique latè rerũ potiatur, & tanquam terræ marisque Dominus vtrumque elementum pedibus conculcet. Nec illud prętereundũ arbitror, quod dextro pede cui firmius innitimur, mari insistat, sinistrum vero terræ imponat. Illius enim pedibus, aquę tanquam solidæ petrę sunt, vt ne ipsis quidem maris fluctibus mergi possint. Non est igitur quod timeamus, ne vis vlla diabolici illius exercitus contra illum valere possit.

¶ *Et clamauit voce magna, quemadmodum leo rugit, &c.*

Vers. 3. QVi diu visus est obmutescere, dũ sæuiret antichristi tyrannis aduersus ecclesiam, & tanquam leo in specu obdormiscere, nunc idoneum tempus vindicandis fidelibus conspicatus, subito velut à somno excitatus leo ille de tribu Iuda, terribili voce rugit, contrà hostes suos, & prædam è faucibus eorum eripturum se minatur. Et admodum apposita est similitudo leonis rugientis, cuius vox feris omnibus terrorem incutit. Ita cum semel intonuerit Christus, potenti suo verbo horrendum in modũ tremefieri necesse est, omnẽ antichristi superbiam. Quãquam nõ sentio eum voce inarticulata vsum, aut clamore incondito, aerem impleuisse, sed imperiosa & iucunda voce horribiles pœnas impijs comminatum fuisse.

Et

¶ *Et cum clamaſſet loquuta ſunt ſeptem tonitrua ſuas ipſorum voces. &c.*

APPARET Chriſtum clamore ſuo euocaſſe ſeptem tonitrua, vt ſeueritatem iudicij eius, in impios Ioanni notam facerent, quam primum enim ſonora voce proclamaſſet, loquuta ſunt ſeptem tonitrua. Per ſeptem tonitrua intelligo, omnis generis grauiſsima iudicia, quæ deus in impios ſui numinis contẽtores fulminabit, quæ à ſeptem tonantibus potius quam loquentibus angelis prædicta ſunt eſſe parata, ne cum inſuperabilem eorum potentiam, carnis oculis metimur, vix eſſe in manu Dei cogitemus, vt eos è tam ſublimi faſtigio deturbare poſſit, & deeſſe ei rationes, quibus miſerrimę eccleſiæ conditioni, ſubuenire valeat.

¶ *Et cum loquuta eſſent ſeptem tonitrua. &c.* *Verſ. 4.*

QVIA credidit ea Ioannes eccleſię profutura quæ protuliſſent ſeptem tonitrua, literis ea mãdaturus erat, & velut partem huius prophetiæ, cum reliquis æditurus. Sed audit vocem è cœlo prohibẽtem, ne illa ſcriptis proderet, ſed tanquam ſacroſancta myſteria, quæ in hominum notitiam venire nefas eſſet, clauderet & obſignaret. Noluit enim deus omnia quæ fieri decreuit cognoſci priuſquã eueniant. Sic quædam iuſſus eſt Daniel, obſignare ne in vulgus emanarent capite. 12. Et Paulus in tertium cœlum raptus, audiuit quæ effari non liceret. Sed dixerit aliquis, cur itáque locuta ſunt ſeptem tonitrua, quæ nulli audire concederetur? Reſpõdeo, idcirco audiente Ioanne loquebantur, vt & eius fides eorũ cognitione, & noſtra eius teſtimonio confirmaretur, cum agnoſcimus parata eſſe à deo omnia iudicia, quibus in improbos animaduertere velit, licet quo tẽpore, quibus medijs, quibus miniſtris, ea executurus ſit noſtra ſcire nihil interſit.

¶ *Et angelus quem vidi ſtantem. &c.* *Verſ. 5.*

POST obſignatas ſeptem tonitruorum voces, quas in publicum proferri ſpiritus ſanctus vetuit: potentiſsimus ille angelus, qui terræ marique inſiſtit, ne quid ad ſo-

lidam consolationem pijs deesse possit, solenni iuramento breui finiendam eorum calamitatem confirmat. Multum enim valet ad tolerantiam suadendam, si intelligant fideles non diu differendam esse spem relaxationis. Vtcunque igitur Deus perplurima eius consilia hominibus arcana esse voluit, hoc tamen palam fieri permisit, non longè distare terminum impietati statutum, nec præmia decreta militibus suis vlterius esse proroganda, sed operæpretium est formam verborum attentius considerare.

„ SVSTVLIT *manum suam ad cœlum. &c.* Certum est
„ quoad formam visionis alludere ad ea quæ scribuntur
„ Danielis. 12. Licet alio fine, illic enim angelus vtraque manu in cœlum sublata iurat, post tempus, duo tempora, & dimidium temporis finiendam esse persecutionem ecclesiæ, hîc vero nullam omnino fore moram, post septimi angeli clangorem iureiurãdo affirmat. Quod verò manu in cœlum extenta iurat, obseruat solennem veterum
GEN. 14. iurandi ritum, quo significabant se deum cœli testem citare, & eundẽ vindicem, si fefellissent. Sic Abraham regi Sodomorum respondet de præda retinenda sollicitatus, Sustuli manum meam ad Deum, cœli & terræ possessorem, &c.

Vers. 6. ¶ *Et iurauit per eum qui vivit in sæcula sæculorum. &c.*

PERIPHRASIS est Dei optimi maximi, qui viuit in æternum, quo elogio separatur, non solum à mortuis idolis, sed etiam à mortalibus tyrannis, qui se vt Deos coli voluerunt, quales erant, Calligula, Nero, Domitianus. Cui etiam hoc propriè conuenit, quod solus per se vitam viuat immortalem, & cęteris omnibus auctor sit vitæ, quę in illis est: iuxta, illud in ipso mouemur viuim⁹ & sumus. Quod verò angelus hic qui Christi personam gerit ad Dei auctoritatem in iureiurando confugit, cũ ipse Deus sit, mouere nos nõ debet cum Christus ipse sæpissimè in persona mediatoris idem faciat. Quin potius admonere voluit Ioannem spiritus sanctus, non à creatura, sed ab

ipso

ipſo Deo profectum eſſe hoc decretum, de mundi conſummatione & vltimo iudicio. Videmus enim quam ſecurè mundus irrideat quę de maching, huius diſſolutione in ſacris tradantur literis. Et dormitant etiam nonnunquam fideles, cum plus æquo voluptatibus indulgent, vt extremi inditij eos capiat obliuio, quos ſacroſancto hoc Chriſti iuramento quaſi clamoſa voce expergefieri conuenit, vt ea diligentius curent, quæ ad redemtorē noſtrū è cœlo ſuſcipiendum pertinent.

QVI creauit cœlum & quæ in eo ſunt. &c. Proximum Dei attributum eſt quod ſit omnium creator, nec ſolum viuat ſibi beatus, vt Epicuræi ſomniant, ſed res omnes quas creauit in cœlo ac terra nutu ſuo gubernet. Abſurdum eſt enim cum rerum omnium creationem Deo aſcripſerimus, eidem imperium earundem velle eripere. Opus enim omne opificis arbitrio, inſeruire neceſſe eſt. Porrò hic ſolemniter & quaſi conceptis verbis, vt fieri conſueuit in rebus magni momēti, enumerat omnes creaturarum ſpecies, ſumta diuiſione à locis in quibus degūt. Quod fit amplificationis gratia, licet enim idem eſt, ac ſi diceret eum qui oīa creauit, magis tamen in admirationem tantæ poteſtatis, ſapientiæ, bonitatis rapimur, cum audimus cœlum & omnes quę in eo ſunt creaturas, ſiue virtutes angelicas ſiue ſydera intelligamus, cum terram, & infinita quæ in ipſa gignuntur animantium, ſtirpium, lapidum, metallorum genera, conſideramus cum mare vaſtum & innumeras quę in eo generantur animalium formas attentius intuemur. Quod verò hæc tria tantum loca commemorat, facit pro vſitatio ſcripturæ more, quod hæc tria corpora vulgò conſpicua, maximè ſint, & dimittit ſe Spiritus ſanctus ad rudium captum, pro infinita ſua miſericordia.

Quanquam vt verum fateamur, his tribus locis creaturæ omnes continentur. Nam in elemento ignis nihil gignitur, & ſublimes aëris regiones in quibus meteora fiunt, Cœli nomine Scriptura complectitur.

adeò vt volucres etiam cœli vocentur quæ in infima huius nos ambientis aeris parte circumuolitant.

¶ *Quod tempus non erit amplius. &c.*

χρόνος diuturnam temporis moram significat, vnde χρονίζειν tardare dicitur. Non enim intelligit vt quidã nimis argutè colligunt cessaturum tunc esse motum primi mobilis quo tempus metimur, sed nullum obstaculũ deinceps fore, differẽdę redemtionis nostræ, nec sumendi pœnas de reprobis. Non enim poterunt eludere iudicium Dei, vt nunc securè vaticinia de eiusdem seueritate irrident.

¶ *Sed in diebus vocis septimi angeli cum tuba cecinerit. &c.*

Vers. 7. OSTENDIT quo vsque prorogandus sit dies extremi iudicij, nempe vsque ad tempus quo septimus angelus clangore tubę suæ, clara resurrectionis & iudicij signa dabit. Quæ restãt igitur sexti angeli tuba explicanda, ad vltimam mundi ætatem procul dubio referenda sunt, quæ si attentè consideremus, nostri huius sæculi statum ad viuum exprimunt, vt capite sequẽti fusius aperiemus.

¶ *Et perficietur mysterium Dei. &c.*

ARCANVM dei consilium, quod à sæculi sapiẽtia longissimè remotum est, cui Satan, cum vniuersa mundi impietate se opponit, suum tandem consequetur finem. Ecclesiæ totius per Christum gloriosa & perpetua redẽtio. Antichristi cum suo corpore, perditio in æternum. In vtroque ineffabilis dei gloria & magnificentia admirabilis conspicietur. Quæ si ab huius sæculi sapientibus nunc minus videantur, admonemur esse mysterium dei, quod à simplici piorum fide reuerentur suscipitur, & à turgida impiorum scientia fastidiosè respuitur, suo autem tempore vniverso orbi conspicuum efficietur, his in contumeliam, & condemnationem, illis in gloriam & perpetuam consolationem.

SICVT *euangelizauit seruis suis prophetis. &c.* Non hîc primum cœpit Spiritus sanctus, defuturo Dei iudicio

dicio homines cõmonefacere, ſed olim omnibus ſæculis per ſeruos ſuos prophetas. Nec enim deum ritè intelligere poſſumus, niſi eundem & bonorum remuneratorẽ, & malorum vindicem agnoſcamus, vt teſtatur Apoſtolus ad Heb. 11. Quin & hoc obſeruare conuenit, quod Euãgelizandi vocabulo vtitur, cum de tremendo Dei iudicio verba facit. Eſt enim Euangelij complementum ille dies quo præſtabit Deus, quicquid ſuis pollicitus eſt. Sic Chriſtus ad apoſtolos concionatur, cum videritis hæc omnia attollite capita veſtra, proxima eſt enim redemtio veſtra. Quod verò terribilis nobis videtur ſecundus ille aduentus Chriſti, hinc eſt, vel quod peccatis abundamus, quibus nimium ſecurè proh dolor indulgemus, vel quod fide infirmi ſumus, quam vt adaugeat in nobis deus, aſſiduò orare debemus.

Et vox quam audiui è cœlo rurſum locuta eſt mecum, dicens. &c. Verſ. 8.

NVNC in quem finem librum Euangelicarum promiſsionum tenuerit apertum Chriſtus, vox cœleſtis edocet, nimirum vt ab ipſo miniſtris eccleſię in perſona Ioannis traditus, & ab his ſuſceptus, imo pectore penitus conditus, poſtmodum ad totius eccleſiæ conſolationem promulgaretur.

ET vox quam audiui. &c. Eadem cœleſtis vox quæ arcana ſeptem tonitruorum myſteria, cœlari iuſsit, apertũ Euangelicæ veritatis volumen ſuſcipi mandat. Hunc igitur librum, qui ſpiritus ſancti iudicio nobis commiſſus eſt, diligenter inſpiciamus, quæ verò idem latere voluit curioſè ne inquiramus. Deinde notemus imperatum eſſe eccleſiæ doctoribus, ſub perſona Ioannis, vt à Chriſto petant Euangelij doctrinam, quam eccleſiæ puram vt acceperunt, tradere teneantur. Itaque nominatim exprimit vox cœleſtis, à cuius angeli manu eam accipere debeat non cuiuſlibet, ſed eius nimirum, qui ſtat ſuper mare, & terram, quem ſatis intellexit Ioannes, Chriſtum dominum repræſentare. Angelus enim è cœlo ſi aliud Euan- GAL. 1

Vers. 9. gelium perferet anathema esto.

¶ *Et abij ad angelum dicens ei da mihi libellum. &c.*

OBTEMPERAT Ioannes spiritui sancto, & vt res hęc in visione gerebatur, vadit ad desig natum sibi à voce cœlesti angelum, librumque ab eo vti iussus erat petit. Anlus verò non solum tradit libellũ, verum etiã eundẽ à Ioanne deuorari præcipit. Deinde eius vim & effectum indicat, futurum dicens, vt in gustu, mellis saporem dulcedine adæquaret, ventrem verò eius amaro & qui contineri non possit succo, impleret.

Vers. 10. ¶ *Et accepi libellum de manu angeli. &c.*

REFERT Ioannes susceptum à se libellum, iuxta angeli præceptum, auidè fuisse deuoratum, & re ipsa cõperisse, quod prius de eius vi audierat. Nam quamdiu in ore eius mandebatur, suauissima mellis dulcedine prosundi videbatur, postquam verò in stomachum & interiora descendisset, plus quam fellis amaritudinẽ sensit. Et alluſio est ad ea quæ leguntur Ezechielis tertio, ibi enim propheta volumen diuinæ vltionis seueritatem complectens deuorare iussus, melleum tamen saporem inter cõedendum sensit, quanto magis Ioannes librum consolationum plenum deguſtans, ambrosium saporem percipit. Quod verò tam suauis gustu cibus ventrem tamen reddat amarum, idcirco accidit, ne sibi soli eũ deuorasse putaret, qui ad plurimorum medicinam denuo eructandus esset, nam & hoc angelus versu proximo apertè indicat, & eadem sigura de ventre amaricato alibi vtitur spiritus sanctus. Vt Iere. 4 Grauissima ventris amaricati tormina conqueritur propheta se sentire, quod sonitum tubæ & classicum canentis vocem audijsset. Et Iob. 32. Elihu ventrem suum, spiritu sancto plenum, iactat similẽ esse vasis vinarij, quod nisi aperiatur rumperetur.

Vers. 11. ¶ *Et dicit mihi, oportet te rursum prophetare. &c.*

DOCET non vni Ioanni creditum esse thesaurum tantum cœlestis doctrinæ, sed ideo apud eum esse depositum, vt in vsum ecclesiæ quoties opus est depromeretur.

Deinde

Deinde quam latè pateat eius fructus demonſtrat, cum ad diuerſas gentes, nationes, populos, & reges etiam multos, manare debeat eius vtilitas. Deſcribitur autem hac viſione eleganti figura, verus eccleſię doctor & miniſter fidelis, quem primo, à ſpirito ſancto ad tantum munus aſſumi par eſt, & eodem duce, à Chriſto norrectũ, cœleſtis doctrinæ volumen, auidè ſuſcipere, ſuſceptum in intima vſque viſcera recondere, poſtremò probè digeſtum atque concoctum ad quam plurimorum commodum & emolumentum depromere, & principes ſimul cum populis ad eius obedientiam excitare.

¶Caput vndecimum.

PROSEQVITVR IOANNES HOC capite quæ reſtant ſub ſexti angeli tuba proclamanda deſcribere, & ſub finem capitis Verſu. 15. ſeptimi angeli tubam nouiſsimam, quę eſt reſurrectionis & iuditij nuntia depingit.

¶ Et datus eſt mihi calamus inſtar virgæ. &c. *Verſ. 1.*

NVNC in quem finem deuoratum cœleſtis eloquij libellum diligenter prophetando eructare iuſſus ſit Apoſtolus, ſub hac figura explicatur. Nimirum quia Chriſtus eccleſiam ſuam quamlibet grauiter Antichriſti tyrãnide oppreſſam, & iam iam ruinam minitantem, ſemper tamen ædificare velit, ne penitus deſtruatur. Præcipuè verò ſub finem mundi (quemad modum ad ſexti angeli tubam pertinet hæc figura) inſtaurandas eius ruinas ſignificat. Menſura enim ad architecturam refertur, vt alibi in ſacris literis Ezech. 40. Zachar. 1. ſimilis eſt metaphora.

Dicens

,, DICENS *ſurge metire templum. &c.* Licet in quibuſdam
,, exemplaribus non reperiantur hæc verba (& ſtetit angelus) non dubito tamen, quin intelligat Ioannes, hãc orationem eſſe nobilis illius angeli, Chriſti, quem ſuperiore capite deſcripſerat. Chriſtus eſt enim ſummus eccleſiæ ſuę architectus. Sub quo omnes verbi miniſtri ad eiuſdem templi ſancti ædificationẽ Euangelij promulgatione laborant. Iubet igitur Chriſtus, vt metiatur templũ Dei, altare, & adorantes in templo, quo ſymbolo docet ſibi curæ fore, vt eccleſia tota, quæ per templum ſignificatur, vt legitimus dei cultus, qui per altare figuratur, & ſingula eccleſiæ membra, quæ per adorantes in templo adumbrantur, perpetuò ædificentur, & ſarta tecta conſeruentur, quę omnia ſubito euaneſcerent, niſi illius præſidio per miniſterium verbi quaſi columnis ſuffulcirentur.

Et atrium quod eſt intra templum eijce foras. &c.

Verſ. 2. CVM ambigua ſit lectio in græcis codicibus, alijs ἔξωθεν, alijs ἐσωθεν habentibus, nihil certi poſſum ſtatuere, niſi quod ad formam veteris templi Iudaici reſpiciens, quod in tres partes erat diſcretum, magis inclino ad eam lectionem quæ habet ἐσωθεν nam interius atriũ non erat, ꝙ ſciã, ſed ſanctũ & ſanctũ ſanctorũ. Quanquã in medio relinquo, vtro modo legendũ ſit. Illud tamẽ conſtat, per atrium illud, ſiue interius ſiue exteriꝰ legamus, deſignari hypocritarum cœtum, qui licet ſuperbo eccleſiæ titulo ſeſe venditent, non tamen in veræ eccleſiæ gremio cõprehenduntur. Quin potius tanquã ſpurij & degeneres fœtus abdicantur, reijciuntur, exterminantur. Et non aliter ac templum Iudaicum à Romanis gentibus deſtructum eſt, adeo vt nec lapis ſuper lapidem relictus ſit: ita illi ad prophanas gentes quarum è numero ſunt, è Dei populo exterminati, aggregabuntur. Ne igitur Ioannes ſub tẽplo & adorantium in eo nomine, omnes quotquot Chriſti & eccleſię larua gloriantur complexũ fuiſſe Chriſtum crederet, diſertè prohibet, ne atrium illud exterius hoc eſt hæreticos, ſchiſmaticos, & reliquã Antichriſtianæ factionis

ctionis turbã, adnumeret inter eos quos Dominus ædificandos in sanctum templum, cuius sit ipse lapis angularis susceperit. Detrahit ergo laruam Romanensibus alijsq; hypocritis, qui nihil aliud in ore habent, præter ecclesiam cum tãquã neclectos, & contẽptos foras eijciendos præcipit.

ET conculcabunt civitatem sanctam, mensibus quadraginta duobus. &c. Impię & prophanæ gentes, ecclesiam Dei conculcabunt id est grauiter oppriment, persequentur & affligent per totos quadraginta duos menses, hoc est per tempus illud quod Antichristo ad sęuiendum in pios à Christo concessum est. Non nulli numerum hunc mensium cõputant à prima persecutione Christianorum, per Cæsares Romanos vsq; ad Constantini tempora, qui pacem ecclesijs concesit. Sed hoc quam firmum sit viderint qui eam sententiam tuentur. Mihi simplicius videtur, sub varijs numeris designari Antichristianæ persecutionis tempus, certum, fixum, & determinatum, quod transire non poterit, quãlibet fremat & ferociat. Dominus enim tempus illud per menses, dies, & horas computauit. Ratio vero numerorum talis videtur, tempus hoc, quod nũc 42. menses, nunc mille ducenti sexaginta dies, nunc tempus duo tẽpora & dimidium temporis appellatur, facit in vniuersum tres annos & dimidium, id est, hebdomadæ propheticæ dimidium, quod tempus etiam tres dies & dimidium vocatur. Et est allusio ad hebdomadas annorum Danielis. 9. vnde ad ecclesiæ consolationem colligimus, breue cõstitutum esse tempus Antichristo, ad deuastandum eam, quod & bis postea narratur, cap. 12. & 20. breue spatium esse tẽporis diabolo permissum, vt totis viribus, ad ecclesiam prosternendam nitatur, hic sensus vt simplicissimꝰ mihi maximè arridet, qui subtiliora quærunt fruantur, suo iudicio.

¶ Et dabo duobus testibus meis. &c. *Vers. 3.*

POSTQUAM se ædificaturum ecclesiam suã Dominus pollicitus est, præcedenti figura metiendi templi, nunc

quorum

quorum opera & labore id præstiturus sit ostendit, nempe ministerio verbi, per eos ministros, quos ad hoc opus suscitabit sibi perpetuò, etiam in medijs persequutionum procellis. Promittit itaque se excitaturum sibi saltē duos testes, quos lex exigit ad confirmandum quamlibet causam, cum maxima multitudo, Antichristi delirijs inebriata, sanam doctrinam respueret. Vulgò interpretantur Enoch & Heliam duos testes, cum potius ex his quæ Versu. 6. sequentur Mosen, & Heliam colligere licet, sed absurdum est restringere ad certas personas, quæ de verbi ministris quos periculoso illo tempore constituturū se promittit Christus, dicta sunt: qui duo, non ob certum numerum, sed ob paucitate m nuncupatur. Hos tamen spondet se idoneis virtutibus, & charismatis instructurum, adeò vt per mille ducentos & sexaginta dies, munus propheticum, docendo, corripiendo, cōsolandō strenuè obibunt. Id est per 42. menses, dum ciuitas sancta conculcatur à gentibus. Idem verò tempus computat per dies, ne vel exiguo temporis spatio ecclesiam carituram suis doctoribus putemus. Quamuis enim Antichristo & cæcis illius asseclis sepulta videbatur doctrina euangelij, semper tamen habuit ecclesia, duos saltē Christi testes. Quorum singulorum nomina licet iniuria temporum ad nos non peruenerunt, satis tamen testantur historiæ, extisse semper aliquos, vt in Anglia Wiclefum, in Italia Marsilium de Padua, in Gallia pauperes de Lugduno. In Bohemia Iohannem Husse & Hieronymū à Praga. Et alibi alios.

„ „ „ *INDVT Isaccos &c.* Pœnitentiam ab idololatria & o-
„ „ peribus tenebrarum omnibus modis suadentes: Deinde non aureos Pontifices, purpuratos cardinales, nec mitratos episcopos, sed viles homūciones, ex abiecta plebe, saccis indutos, Christus ad tam honorificum testiū suorum munus assumit. Quorum dignitas, non ex vestitu, qui sordidus est, sed ex officio, quod illis commissum sit æstimanda est.

¶ *Isti sunt duæ oliuæ & duo candelabra coram deo terræ. &c.* Vers. 4.

QVIA mundus contemtim excipit, eos qui à domino mittuntur, nisi externo splendore ornati, oculos eorum in se conuertant ostendit Christus, quanto in pretio sunt apud ipsum. Sunt inquit duæ oliuæ, semper virentes, qualem se Dauid futurũ gloriatur post euitatã Doegi calumniam, & oleum, salutaris doctrinæ in ecclesiam stillantes, sunt inquit duo candelabra, lumen euangelij, in obscuro hoc mundo sustinentes, qualescunq; hominibus terræ videantur, tales sunt Deo ac domino terræ ac totius mundi. Admoneantur hic ministri ecclesiæ, quales esse debeant si Christo vt testes eius probari volunt.

¶ *Et si quis ipsos velit ledere. &c.* Vers. 5.

NE impunè spernat mundus eorum simplicitatem, pronunciat dominus sermonem illorum contrà reprobos, fore instar ignis, qui eos in cinerem redigat, & perfidè repugnantes, flammis tartareis cõburẽdos tradat. Est enim odor mortis ad mortem, his qui pereunt. Frustra igitur papa, sanctorum corpora flammis corporeis vlulanda committit, cum ipse igneo illorum spiritu longè grauius in æternum cruciabitur. Docet hic locus quanto Dei zelo, ardere debent pij concionatores, aduersus impios ecclesiæ Christique hostes, nec metuere illorum crudelitatem, cum in promtu habeant vindictam aduersus omnem impietatem.

Vers. 6.

Isti habent potestatem claudendi cælum ne pluat in diebus prophetiæ eorum. &c.

NON dubium est, quin alludat ad historiam Eliæ, qui triennalem siccitatem, in diebus Achabi prædixit. 1. Reg. 17. quemadmodum in reliqua versus parte, ad Mosen qui variis plagis terram Ægypti percussit, vt habetur Exod. 7. 8 9. 10. Quibus figuris significat, Mosis & Eliæ zælo præditos fore testes suos, quorum contemtũ, grauissimis supplicijs vlturus est Dominus, vt sensit Ægyptus, sensit Israel qui Mosen & Eliam impunè non cõtemserunt: & sentit indies ecclesia papalis, diuinã vltionem

nem ab illis denũciatam, multis ac diuersis plagis armatam in se cadere, tandemque extremam internecionem sentiet. Deinde ad ecclesię suæ consolationem, & sanciẽdam testium suorum auctoritatem, Christus eos cum clarissimis ecclesiæ veteris luminibus confert, vt Mosen sibi ac Eliam, ob singulares animi dotes, & spiritus sancti charismata, ecclesia sibi rediuiuos adueniſſe credat. Hinc est quod admirandas virtutes Lutheri, Caluiui, & aliorũ tantopere suspicimus, vt nullis qui post Apostolos vixerunt cedere putemus Faxit Deus vt grati simus ob tanta bona & eis bene vtamur.

¶ Et postquam finierint testimonium ipsorum bestia
Vers. 7. *quæ ex abysso ascendit, &c.*

NIHIL poterit diabolus, nihil Antichristus contra Dei testes, quam diu testimonium suum non absoluerint, hoc est non ante quam præfinitum sibi à Deo cursum cucurrerint, & traditum sibi munus adimpleuerint. Nõ est igitur quod metuant persecutorum rabiem, sed intrepidè testimonium Christo & eius euãgelio perhibeant, quã diu Deo visum est, tandem verò officio defuncti, eiusdem arbitrio se permittant.

„ *BESTIA quæ ascẽdit ex abysso. &c.* Crudelis bellua, & ra-
„ tionis expres Antichristus, qui ab inferis proditurus est, ad regnum diaboli stabiliendum, spirituali certamine inferior, carnali tamen bello superior, sanctos Dei, martyres opprimet, vincet, interficiet.

¶ Et cadauera illorum iacebunt in platea ciuitatis magnæ. &c.
Vers. 8. TALI victoria inflatus Antichristus, de cæsis eorum cadaueribus barbara crudelitate triumphabit. Sparsa erit platea ciuitatis magnæ, illorum membris laniatis. Vbique per totam Antichristi ditionem, quam latè patet, sanctorum cadauera conspicientur, quod quam verum sit, superioris ætatis historia, & nostri sęculi experientia satis docet.

„ *QVÆ spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus vbi & Do-*
„ *minus noster crucifixus est.* Quæ sit illa ciuitas magna,

sedes

sedes Antichristi, indicat, quæ se falsò gloriatur esse ciuitatem sanctam, Hierosolymam, id est ecclesiam Dei, cum tamen ob nefandam fœditatem, Sodoma, ob persecutionem & seruile iugum sanctis impositũ Ægyptus potius vocari mereatur, nec Hierosolymam vlla in re referat, nisi crudelitate in pios, quæ vt omnes prophetas ita Christum ipsum caput ecclesiæ probrosa morte affecit. Porrò non obscurè sedem Romanam digito quasi notat, cum ciuitatem magnam appellet in qua dominus noster crucifixus est. Non enim Hierusalem Iudæorum, ciuitatis magnæ appellationem vlla ratione meruit, multò minus cum Ioannes visionem hanc suscepit, à Romanis deleta funditus & solo adæquata. Sed cum posteà per ciuitatem magnam manifestò spiritus sanctus Romam interpretetur, eandem etiã hic intelligi certum est. Et pulchrè congruit, Romanam tyrannidem ciuitatem magnam dici, non solum quia vrbs Roma caput sit totius imperij Romani, sed quia ciuitas ipsa in tantam magnitudinem creuit, vt in monarchiam cesserit, quod in alijs tribus monarchijs non extitit, quarum principia à regibus, non à ciuitate aliqua fuerunt desumta. Nec male conuenit, Christum Romæ fuisse crucifixum, cum à Romano præside, tanquam hostis Cæsaris, damnatus, sit neci traditus, mortis genere Romanis legibus sancito interemtus. Ioanni. 19.

¶ Et videbant ex populis tribubus. &c. Vers. 9.

NVLLA gens erit Romanæ tytannidi subiecta, quæ nõ sanctorum Christi testium stragem videbit, per tres dies & dimidium, hoc est, per hebdomadæ dimidium. Nõ enim diu efferatos oculos crudeli hoc spectaculo pascent, sed Deus in medio æstu, persecutionẽ abrumpet. Interim tamen dum penes eos est potestas, tanto odio persequentur pios, vt etiam in mortua cadauera sæuient, nec sinent ea sepulturæ mãdari, sed quasi victoriæ suæ trophæa omnibus palam ostentari volunt.

¶ Et habitantes super terram. &c. Vers. 1.

Vers. 10. SCELERATI terræ incolæ, sibi ipsis gaudebant, & alijs mutuò gratulabantur de prophetarum interitu. Duo enim isti prophetæ, licet numero pauci, omnes terræ impios incolas, grauibus tormentis affecerunt, dum aduersus eorum impietatem verbo dei fulminarent. Testatur igitur impij hoc gaudio, quantis conscientiæ stimulis pungerentur ac lancinarentur cum à pijs doctoribus scelera eorum corriperētur. Ea est enim vis verbi dei, vt etiam sui contemtores meritis supplicijs torqueat.

¶ Et post tres illos dies & dimidium, spiritus vitæ, &c.

Vers. 11. NON semper trucidatis Christi martyribus insultabunt impij, sed opinione sua citius peribūt. Eripietur enim Antichristo omnis potestas in sāctos, quā licet illius assentatores æternam fore iactitant, Christus tamen hîc trium dierum & dimidij spacio metitur. Quod quidem tum ad retundendam sceleratorum superbiam pertinet, cum paucis tantum diebus duraturum imperium sibi audiunt, tū ad cōsolandos afflictos Christi seruos, & ad patientiam erudiendos, quum breui temporis interuallo, tollendam è medio Antichristi tyrannidem intelligunt.

„ SPIRITVS vitæ à deo ingressus est in eos, &c. More pro-
„ phetico præterito tempore vtitur pro futuro. Et sensus
„ est, ne actum putemus esse de ijs, quos diabolica crudelitate Antichristus sustulit, qui tanquam mortui iacere videbantur per tres dies & dimidium, tandem sublata hostium suorum potestate, noua vita à Deo donati, & in pedes erecti, se nō mortuos fuisse, sed obdormiisse solum ad tempus probabunt. Quod in resurrectione iustorum liquidò conspicietur, quanquam intelligi potest hic locus non incommodè, de noua ministrorū excitatione, quos dominus substituet hijs, qui martyrio coronantur, maximè vero in fine mundi, post reuelatum hominē peccati, quod nostra ætate videmus.

„ ET timor magnus cecidit super eos qui viderent eos, &c. Hor-
„ ribili terrore cōcuti impijs necesse est, cum eos à deo
„ reuocatos in vitam viderint, quos ipsi morte affecerunt

vnde

vnde certò intelligunt, se bellum gessisse contra Deum. Nam cũ pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorũ eius, nõ possũt nõ grauiter torqueri metu diuinæ vltionis, quã cæca rabie & feritate, in se prouocasse sentiunt.

¶ *Et audierunt vocem magnam è cœlo dicentem illis. &c.* *Vers.* 12.

DVM terror æterni supplicij aduersarios eorum, cum maximo conscientiæ prauæ horrore occupat, illi clara & plena cõsolationis voce, ad cœlestia euocantur. Hæc merces reposita est fidei Christi martyribus, vt è carcere tormentis, & ipsa morte, ad beatam vitã excitati, coronã gloriæ, cũ eo cui testimoniũ exhibuerũt, in regno cœlesti reportent. Hęc spes animos illorũ in grauissimis cruciatibus alit, ne ꝓpter vlla corporis supplicia deficiãt, quibus pro æterna felicitate certamen esset contra impios.

ET ascenderunt in cœlum in nube. &c. Quemadmodum Christus caput eorum ascẽdit in nube & nos etiã rapiendos in occursũ Christo, in nubibus testatur Apostolus, ita & isti duo prophetæ Dei testes, in cœlum ascendere dicuntur.

ET viderunt eos inimici illorum. &c. Quemadmodum Christũ videbunt qui eum transfixerunt, ita & membra eius sanctos martyres videbunt in gaudium cœleste sublatos, qui eos in terra spreuerunt, afflixerunt, occiderunt, cum ipsi in barathrum inferni detrusi, nõ suis solum malis sed etiam aduersariorum felicitate, in æternũ cruciabũtur. Sic vidit diues Lazarum in sinu Abrahæ, quẽ ipse viuentem tanquam vilissimum animal contemsit, nec micis saltem alendum curauit.

¶ *Et in illa hora factus est terræ motus magnus. &c.* *Vers.* 13.

CVM tempus maturum aduenerit, quo deus pœnas de Antichristo eiusque sequacibus sumturus sit, grauissimo motu res humanæ concutientur, bellis proditionibus, seditionibus, omnia commouebũtur, nec diutius erit pacatũ Antichristo regnũ, quod paulo post collapsurum, horrenda commotione quasi terræ motu magno perturbabitur. Hunc terræ motum, nostro sæculo accidisse, existimare

istimare possumus, habemus enim partim ob oculos, partim recenti memoria cõplectimur, quantis motibus religionis causa Christian⁹ orbis agitatur. Et cætera quæ sequũtur in hoc versu nostra ætate perspicuè cernuntur.

„ *ET decima pars ciuitatis cecidit &c.* Quãtũ sui imminu-
„ tionẽ passa est Romana ecclesia à qua plurim[illegible]
„ nes prorsus desciuerũt, nemo est qui nesciat. Quãdiu ipsa
„ superstitio, inter Romanẽses decima parte defecit, & ipsi coguntur plurimas eorũ nugas deserere, & fateri quosdam errores, quibus populi fidem anteactis sæculis, arctissimè alligabant.

„ *ET interfecta sunt in terræ motu nõa hominũ septẽ millia.* Per
„ magnæ hominũ multitudini, nõ solum turbulentus,
„ verum etiam funestus erit hic terræ motus, cuius impetu septẽ hominũ millia interimẽtur. De numeris denario, & septenario sæpe anteà dictũ est, eos adyniuersitatẽ referri. Vt numerus hic septẽ milliũ cõplectitur omnes, quos Deus ad supplicium destinauit, in hac graui orbis concussione. Quotquot enim Dei flagellis nõ subacti, ad pœnitẽtiam vocantur, hij in sua impietate obdurati, dignas scelerum suorum pœnas, tandem aliquando dabunt.

„ *ET reliqui trepidi effecti sunt & dederũt gloriã Deo cœli. &c.*
„ Habet Deus semper suas reliquias, quę secũdũ electionem exomaximis incendijs ereptæ, ad gloriã sui nominis conseruãtur. Reliqui igitur Dei ferulis domiti, & aliorum ruinis edocti, ad pœnitentiã erudiẽtur, & serio dei timore perculsi, à fœdo Idolorum cultu resipiscentes, ad debitam Deo cœli gloriam præstandam se accommodabunt. Tales videmus quam plurimos, nostra ætate, qui Antichristianos errores pertęsi, veram Christi religionem agnoscant, & Deum cœli eũ cæteris pijs cultoribus celebrãt. Hic adorare debemus cõsilia Dei, quæ nostri ingenij captum superant, cum tertia pars hominum ab equestri exercitu interficeretur Cap. 9. nemo pœnitẽtiam agit, hic septem hominum millibus interemtis, cæteri ad mentem saniorem redeunt.

Secundum

¶ *Secundum væ abijt, ecce tertium væ sequitur breui. &c.* *Vers.* 14.

SECVNDVM vę è tribus illis quæ prædicta sunt ad trium nouissimorum angelorum tubas pertinere, cũ sexta tuba finem accipit. Indicat verò spiritus sanctus vltimum væ, breui adfuturum, quod est æternum væ reprobis omnibus septimi angeli tuba promulgandum. Quare si completa videmus omnia, quæ ad sextã tubam spectant, proximum est, vt nouissimæ tubæ sonum in aduentu Christi perbreui audiendum expectemus.

¶ *Et septimus angelus tuba cecinit & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes. &c.* *Vers.* 15.

SEPTIMI angeli tubam fore nouissimam Christus capite 10. iureiurando affirmauit, sub qua compleretur Mysterium Dei, sicut annunciauit seruis suis prophetis. Audito igitur huius tubæ clangore, refert Ioannes admirabili cœlestium spirituũ gaudio, Dei & Christi eius laudes fuisse decantatas. ,,

FACTA sunt regna mũdi domini nostri & Christi eius. &c. ,,

Gratulantur Deo cœlestes, quod iam debellato Antichristo, & patrono illius diabolo, qui tyrannidem in orbem terrarum exercuerant, omnia regna mundi, Deo & Christo eius cui iure debentur cesserint. ,,

ET regnabit in sæcula sæculorum. &c. Non terrenum & e- ,,
uanidum regnũ, sed æternum, & nullis sæculis finiendum imperium Dei agnoscunt. Sed quæritur, an non nunc etiam regnet Deus & regnauerit semper in vniuerso mundo? Summa quidem imperij semper penes Deum fuit, eiusque arbitrio omnia reguntur. Sed nunc Satanas & Antichristus, eius permissu principatum in tenebras huius sęculi obtinent, quorũ potestas in die extremi iudicij penitus abolebitur. Itáque regnabit tum Deus cum Christo suo, nullis aduersarijs ecclesiæ suæ fœlicitatẽ perturbantibus. Atque hac cantilena, ingenium cœlestium spirituum, verè sanctum & pium, perspicere licet. Quod non tam exultant ob partam sibi æternam beatitudinem, quam ob Dei gloriam illustrandam, seriò triumphant, de

qua, si similes illis esse velimus magis sollicitos nos esse decet, quam de nostra ipsorum salute. Porrò valet hic locus ad refutandum chiliastarum errorem, qui regnum Christi mille annorum spatio concludunt, cum vox ista diserte regnaturum eum fateatur, in sæcula sæculorum.

Vers. 16. ¶ *Et viginti quatuor seniores qui sunt coram Deo. &c.*

VENERANDVS ille viginti quatuor seniorum consessus, qui collocati in subsellijs ante thronũ Dei, vniuersum electorum dei cętum repræsentant, officio suo non desunt, sed prostrati ante thronum, Deum omni animi affectu supplices adorant.

¶ *Dicentes, gratias agimus tibi Domine. &c.*

Vers. 17. ISTI etiam deo suam in solidum constare gloriam prostratis omnibus hostibus eius, mirificè exultant. Et canunt carmen gratulatorium, dicentes: Agimus tibi gratias domine, Quod ipse iam vindex suæ gloriæ aparuerit, Deo optimo maximo tanquam insigni alioquo beneficio donati, gratiam referendam decernunt. Et meritò; nam dei filijs, qui eum toto corde diligunt, nihil tam charum esse debet, quam cœlestis patris sui gloria, cui si posthabitis alijs rebus omnibus sedulò inseruire vellent, & se verè deo prognatos ostenderent, & suæ ipsorum saluti imo æternæ felicitati, omnium optimè consulerent.

„ *DOMINE deus omnipotents qui es qui eras & qui venturus es. &c.* De his elogijs quibus Deo imperium, potẽtiam, & æternitatem attribuunt, abundè dictum est capite primo, & quarto.

„ *QVIA accepisti potestatẽ tuam magnam & regnasti. &c.* Laudant deum cœlestes, quod iam tandẽ omnibus hostibus debellatis, debitum sibi semper summum imperium assumsit, regnumque pacatissimum cui nemo aduersariorum audeat se opponere, felicissimè auspicatus sit. Nam quam diu Antichristus & diabolus tyrannidem in mundo exercuerunt, soli regnare visi sunt in terra, & hoc vnùm maximè vrgebant, ne staret regnum Christi, sed postquam Deus virtutem suam magnam prius latentem, nunc palã

exeruerit

exeruerit, proſtrato Satana, & abrogato Antichriſti imperio ſola Dei gloria, ſupra vniuerſas creaturas eminebit.

¶ *Et gentes irate ſunt. &c.* *Verſ. 18.*

ALLVDVNT meo iudicio, ad initium Pſalmi, Dominus regnabit, quamuis iraſcantur populi. Hoc eſt inuitis omnibus profanis tuis hoſtibus, tu ſolus imperium obtines. Impiæ enim gentes, Satanæ caſtra ſecutæ, oppoſuerunt ſe regno Chriſti, quantum poterant, ſed irritos fore omnes eorum conatus, Dauid ipſe præuidit Pſal. 2.

ET venit ira tua. &c. Hactenus ſæuijt erga te, & membra corporis tui, iracundia malignarum gentium, hæreticorum, Turcarum, hypocritarum, nunc viciſsim venit iræ tuæ tempus, vt perdas omnes inimicos. Iam enim aduenit dies ille, tremendus impijs, quo etiam mortui in vitam reſuſcitati, inditij tui ſeueritatem experiantur: quo merces non debita, ſed promiſſa fidelibus ſeruis tuis gratis reddatur. Non ſolum hijs quos prophetico ſpiritu imbutos, ad eccleſiæ tuæ regimen excitaſti, verum etiam reliquis omnibus ſanctis, qui te vera fide colunt, tuumque nomen reuerentur, tam paruis quam magnis.

ET vt perdas eos qui perdunt terram. &c. Vno verbo horrendam & multiplicem reproborum impietatem horrendo ſupplicio, afficiendam pronunciant: ſimul etiam indicant, quam æquum ſit, vt Deus eos in æternum perdat, qui nulli alij rei ſtuduerunt, quam ad totum mundũ ſuis flagitijs perdendum.

¶ *Et apertum eſt templum Dei in cœlo. &c.* *Verſ. 19.*

QVIDAM hunc verſum cum ſequẽti capite contexunt, vt ſit initium proximæ viſionis, mihi vero huius concluſio & clauſula videtur. Vt doceat Ioannes poſt decantatas Dei laudes à cœleſtibus, executionem illius iudicij quod tantopere deprædicabant ſecutam eſſe. Nẽpe aperto cœleſti templo, in quod veri Dei cultores ſuſciperentur, & patefacta arca fœderis, id eſt, Chriſto; quo mediatore ſuſcipiendi eſſent, quod reliquum eſt,

in reprobos & vniuersam diaboli militiã protenus, è cœlo intonatum, fulminatum, grandinatum esse, quibus terroribus in rabiem acti impij, ad æternas inferni pœnas detruderentur. Breuiter autẽ extremi iudicij formam hoc loco complectitur, quod eam postea in fine prophetiæ huius fusius prosecuturus esset.

Caput duodecimum.

Visio Tertia.

COMPLECTITVR TERTIA HÆC visio. 9. sequentia capita, in quibus alijs quam prius figuris, diaboli & Antichristi aduersus ecclesiam rabies describitur, quę tamen Christi patrocinio tuta, aduersus omnes hostiũ insultus perdurat. Depingitur etiam viuis coloribus, ecclesia malignantium, quæ maximam mundi partem in errorem seducit, sequuntur supplicia, casum eius præcedentia, tandem ruina nunquã resarciẽda, de hinc Antichristi & diaboli damnatio, & ecclesiæ post resurrectionẽ æterna fœlicitas, omnia hæc clarius & fusius quam in præcedẽti visione. Eadem verò res, varijs visionibus explicata est, vt certius constaret eius veritas, altiusque mentibus nostris imprimeretur, qnod sæpe fit apud prophetas. Hoc verò duodecimo capitè, ecclesia à principè tenebrarum persecutionem passa, introducitur, qui

citur, qui caput est omnium eius hostium: & describitur illius conditio qualis futura esset à prima euangelij prædicatione, vsque ad finem mundi.

¶ *Et signum magnum apparuit in cœlo. &c.*

RES magnæ & admirandæ, magno & admirabili signo demonstrandæ erant. Superat enim captũ ingenij nostri, quomodo ecclesia quæ sub imbellis, & inermis, fœminę figura depingitur, aduersus tam robustos & armatos hostes vllo tempore stare possit incolumis. Verum in cœlo apparet, vt ortus & patria eius designetur, hîc enim in terra peregrina est. *Vers.* 1.

MVLIER amicta sole. &c. Sub specie mulieris, ostenditur sponsa Christi, quę ex se quidem infirma est, & virium expers, sed virtute sponsi sui Christi, contra omnes inimicos satis munita. Sole vestita cernitur, cuius omnis ornatus est sol Iusticiæ Christus, radios lucis suę per totam ecclesiam diffundens.

ET luna sub pedibus eius. &c. Res omnes temporales & mutationi obnoxias, calcat, sub pedibus, quæ licet suũ splẽdorem vt lunæ ostentare videantur, nullo sunt in pretio, apud ecclesiam, in qua solis fulgor semper præsens, omnes eorum radios, omnino obscurat.

ET super caput corona. &c. Caput habet redimitum duodecim stellis lucidissimis tanquam speciosa corona, nõ, ex auro, aut gẽmis terrestrib⁹ cõflata, sed ex stelliis. i. materia cœlesti quæ est 12. Apostolorũ doctrina, quã ab vnico sole diuinæ sapiẽtiæ fonte, illuminati, prædicauerũt, ac deinde scriptis tradiderunt. Quod si quis excipiat, non omnia Apostolorum scripta extare, nec omnes fuisse Apostolos, qui Euangelia cõscripserint, in promtu est solutio, quia quæ à paucis scriptoribus tradita est, omnium tamen duodecim doctrina est, eadem nempe quam ipsi à Christo acceptam prædicauerunt in vniuersõ orbe. Supra ostendimus in duodenario numero vnitatem ecclesię ex misera dispersione collectæ significari, quo fine Christus duodecim Apostolos ad numerum totidem tribuũ Israe-

lis delegit, & eosdem postea legauit ad gentes, quæ in vnã Israelis corpus aggregari voluit.

Vers. 2. ¶ *Et grauida clamat, &c.*

PER se sterilis, ex sponso fœcunda, & iam partui propinqua, magna anxietate & sollicitudine cruciatur, vt pariat quod ex semine verbi Dei concepit. Estq; hæc veræ ecclesiæ, vera & artificiosa descriptio.

Vers. 3. ¶ *Et apparuit aliud signum in cœlo, &c.*

POST ecclesiam eleganti figura delineatam, sequitur tetrimi monstri aduersarij illius, plenissima descriptio. Et quemadmodũ mulieris superius delineatæ figura, signum erat admirabile, ita etiam hostis illius forma res admiratione digna, visa est Ioanni, quæ statim post iucundissimam visionem mulieris obijceretur. Eoque admirabilior, quod tam horrendum monstrum, non alibi quã in cœlo appareat. Sed in hac figura videmus, quam alienum sit à conditione ecclesiæ, vt hoste careat, cuius incursus etiam in cœlo pati cogitur. Præcipuè vero diaboli malitiam agnoscamus, qui ad cœlum vsque persequitur ecclesiam, nõ sat habens eam in terra varijs tormẽtis cruciare, nisi salutem eius æternam quæ in cœlo est, si possit detrahere contendat. Nullas igitur cum hoc hoste paciscamur inducias, nihil enim nisi interitum nostri modis omnibus quærit.

„ ¶ *Et ecce Draco magnus rufus. &c.* Aduerbio demonstrandi
„ vtitur ad maiorem attentionem excitandam. Nam diligenti animaduersione res digna est, Draco iste formidabilis, is est antiquus serpens, qui primam mulierem ad totius mundi interitum seduxit, nunc vero restitutam in pristinam & longè meliorem conditionem per Christum, mulierem hanc, id est ecclesiam, non astu solitum, vt olim, sed vi etiam & crudelitate in perniciem sollicitare satagit. Est autem omne serpentium genus, nobis tum terribile tum odiosum, magnus verò Draco non potest non excitare magnum sui terrorem, nec odium leuius, omnibus ijs quibus venena: os illius morsus effugiendi, cura est. Hijs adde, quod igneo colore rutilans, nihil aliud quam rabi-

dum,

dum furorem perdendi, & sanguinem effundendi studium, minatur omnibus, quos in nassam suam pellexerit.

HABENS capita septẽ & cornua septẽ. &c. Non simplex astutia, aut vnius oris virulentus spiritus, sed septem capitibus deformis, omnes versutias fraudesque comminisci se testatur numero capitum, quemadmodum septem cornibus armatus, omnẽ nefariam potestatẽ nocendi sibi esse in promtu iactitat. Quod verò in singulis capitibus gestet diademata, innumerabiles eius victorias ostentat, quibus vniuersum terrarum orbem ad sui obsequium domuit.

Vers. 4.

¶ Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & proiecit in terram. &c.

QVANTA vis illi inerat in capitibus, & cornibus, vel hinc colligitur, quod sola cauda, id est rerũ terrenarum cupiditate iniecta, tertiam partem stellarum cœli, hoc est, plurimos doctorũ, qui tanquam stellæ in cœlo ad tempus splendere videbantur, detraxerit in terram, cui studio affixi, omnem cœlestem splendorem penitus amiserunt. Quo facinore maiorem in spem ductus est, totam se posse ecclesiam facilius prosternere. Deinde quanta sit monstrosi corporis immensa vastitas, innuitur, cuius longissima cauda ad tertiam stellarum partem deijciendam sufficeret. Talis ac tantus est hostis ecclesiæ.

ET Draco stetit ante mulierẽ. &c. Quãta rabie sæuiat diabolus aduersus ecclesiã, sub hac figura adũbratur. Obseruat parturientẽ mulierẽ Draco, vt quã primũ in lucem aditum infantẽ deuoret. Quã verò studiosè conatus est Satanas in ipso ortu Ecclesiæ, tenerũ adhuc fœtũ eius, è medio tollere, ne vlla eius posteritas in mũdo maneret scimus ex historijs. Quid nõ egit per ministros eius Iudæos, sacerdotes, & pharizæos, ne Christi doctrina mundo innotesceret, sed apud Apostolos intermoreretur? Quanto conatu excitauit Neronẽ alioſq; homicidas Cæsares, vt totã

eccle-

ecclesiam funditus delerent, trucidatis infimis eius liberis, fidis Christi confessoribus & Martyribus. Voluit igitur Satanas, fœtum ecclesiæ in ipso partu extinxisse, si studio illius respondisset euentus.

¶ *Et peperit filium masculum. &c.*

Vers. 5. DRACONEM spes sua frustratur, quāuis enim oēm lapidem mouisset, vt prolem ecclesiæ in ipso ortu interficeret, peperit tamen ecclesia, filium masculum, fortem, vitalem, qui Satana inuito, constitutam sibi à Deo patre imperij hæreditatem adiret.

„ *QVI regeret omnes gentes in virga ferrea. &c.* Vaticiniū hoc
„ extat de Christo Psalmo. 2. formatur igitur Christus in cordibus fidelium per ministeriū euangelij, vt testatur Paulus ad Galathas. Christus autē, omnes gentes, quamlibet reluctantes, ad obsequiū suum ferrea virga confractos cogit. Et membra Christi qui sunt fideles, per eum fiunt eiusdem regni participes. His insidiatur diabolus, vt quam primum in lucem Euangelij ædi ti sint, eos deuoret. Sed non fit voti sui compos, nam vtcunque in eōrum perniciem, cum tota inferni militia, conspirabit, non dabit eos Dominus in prædam dentibus illius, sequitur igitur.

„ *ET raptus est filius eius ad deum, & ad thronum eius. &c.* Dei
„ præsidio tutus est, adeò vt quem draco in abyssum inferni demergi cuperet, is ad Deū eiusque maiestatis thronum è Satanę faucibus ereptus sit. Christus enim quē tantopere extinctum diabolus optaret, ad dextram diuinæ gloriæ consedit, ad quam etiam cœlestis gloriæ dignitatē quotquot filij Dei & ecclesiæ per fidem efficiuntur, ipsius beneficio attolluntur. Frustra igitur molitur Satanas, eorum interitum, quos Deus ad se rapuit, adeoque ad thronum gloriæ suæ suscepit. Quam auidè nomen Christianū in prima eius propagatione expungere tentauit diabolus, suprà attigimus, sed quid demum profecit, tantum operæ impendendo? Quo magis ferro, flammis, & omne genus tormentis, insanirent ministri eius aduersum ecclesiæ prolem, vt eam adhuc infantem, & imbellem perimerent, eò

rent, eò magis in immensum creuit pietas & in dies singulos incrementa non pœnitenda suscepit ecclesia. Christus verò cuius gloriæ tantopere inuidit Satanas, in solio diuinæ maiestatis residens è cœlo tutatur pios, vlciscitur hostes, & omne bonorum genus confert in ecclesiam. Ne metuamus igitur, ne cedat vnquam tota ecclesia tyrannidi Draconis.

¶ *Et mulier fugit in desertum. &c.* Vers. 6.

POSTQVAM in tutum ab reptum fuisse mulieris filium, commemorasset, nunc quomodo ipsi etiam mulieri prospectum sit, docet. Poterat Deus, Satanæ nutu suo coercere, ne quicquam ecclesiæ noceret. Sed hæc est sapientissima illius voluntatis dispensatio, vt varijs in sæculo afflictionibus probatam, tandem ad se in cœlum assumeret. Interim tamen nō deest illi in rebus maximè deploratis, sed auxilium è cœlo mittit opportunū. Fugæ igitur viam aperit, mulieri, vt Draconis impetum declinet ad tempus. Hanc etiam euadendi rationem, Christus ipse permisit Apostolis, Quando autem & quibus fugiendum sit, ingruente persecutione, non tam facile est verbis exprimere, quā ipse spiritus sanctus vnicuique intus suggeret. Verum ne periturā in deserto, vbi est omniū rerum inopia mulierē crederemus, exprimit Ioānes etiam in deserto paratā illi esse à Deo sedem, vbi ad tempus diuinitus destinatū, à Satanæ persecutione tutò possit respirare. Et ne quicquā illi interim defuturū putemus, illic alendam esse cōmemorat, per mille ducentos & sexaginta dies, id est, per menses quadraginta duos, qui faciunt tres annos cū dimidio, quod breue tēpus, cum sit dimidiū septimanæ propheticæ, dicitur Satanæ & Antichristo cōcessum, vt non vltra insultare in ecclesiā possint. Porrò hic locus, aperte demōstrat, nō semper fore ecclesiā mundo cōspicuam, quod maximè vrgent papistæ, nā si semper omniū visui exposita erit, quomodo in desertum fugere dicatur? Imò hinc certum est Romanam ecclesiam per hanc mulierem non significari,

quæ

quę nunquam ex hominum oculis in eremum pulsa sit. Postremò quid respondendum sit aduersarijs interrogantibus vbi fuerit ecclesia nostra, ante ducentos aut trecentos annos hîc etiam docemur. Nēpè si in nulla Europæ, aut Asiæ regione verum dei cultum constitisse nouimus, satis est fuisse in deserto hoc est locis vulgò incognitis, & Dei decreto latuisse, vsq; ad tēpus ab eo constitutum. Numerus enim electorum, quę est ecclesia, nunquam deficiet, sed seruat sibi deus septem millia hominum, qui nec genu incuruarunt Baali, nec idolum eius ore osculati sunt, idque cum se solum fuisse superstitem in populo Israelitico crederet Elias. Quanto magis per latissimas Asiæ & Europæ regiones & nōnullas etiam Aphricæ partes, in quibus Christi nomen decantatur, plurimos superfuisse Dei electos verisimile est, qui licet Antichristo eiusque sequacibus incogniti essent: Deo tamen debitum honorem exhibuerunt? Suo igitur malo papistæ, visibilem suam ecclesiam iactitant, nostramque temerè damnant, quod aliquādo non fuerit Romanensibus conspicua. Nam hoc similior est huic verę ecclesię, quod aliquādo latuit: & ipsorū Synagoga semper visibilis, non esse hanc quæ in desertum fugit satis seipsam prodit.

Et factum est prælium in cœlo. &c.

Vers. 7. & 8. PRIMVS Satanæ conatus erat periculosissimus, nimirū vt nascentē ecclesiæ fœtū sutriperet, & æterna felicitate ecclesiā in perpetuū priuaret. Sed oppositus se Christus, sponsæ suę propugnator, nefarijs diaboli studijs, itáq; bellum in cœlo exarsit, dum Satan Ecclesiam funditus perdere, Christus verò eam perpetuò seruare ac tueri studet. Itáque prælium hoc quod in cœlo commissum est, de studio & conatu Satanæ expono, quo primum æternam ecclesiæ salutem quæ in Christo fundata est oppugnare satagit, cuius & rabies & impudentia notatur, quod audeat cum ipso deo manus conferre.

DAN. 12. *MICHAEL & angeli eius. &c.* Michael magnus ille princeps exercitus Dei, Christum significat, qui est nostræ

ſtræ militiæ imperator, quod etiam Danielis 9. 10. & 12. docetur. Quod angelos ſibi adiungit, non arguit in ipſo virium imbecillitatem, ſed ad noſtram fiduciam augendã facit. Draco etiam exercitum vndique ex tenebrarum angelis conſcribit, & omnes vires ſuas ad Chriſtum opprimẽdum effundit. Sed quis erat pugnæ exitus? Non valuerunt neque locus eorum amplius inuentus eſt in cœlo. Nihil poterat draco terribilis, infinitis angelorum ſuorum millibus ſtipatus, aduerſus Chriſtum, eccleſiæ ſalutem propugnantem. Victus igitur Satanas, cum vniuerſo exercitu, cogitur prælium deſerere, neque id ſolũ, verum etiã omni prælij redintegrandi ſpe priuatus, è cœlo in terram, cum omnibus militibus ſuis deijcitur. Iam itaque certa eſt electorum ſalus, cum diabolus ipſe omnes vires ſuas ad eã confringẽdam expertus, turpiter in fugã actus Michaelis fortiſſimi virtute proſternitur.

¶ Et proiectus eſt Draco magnus &c. Vers. 9.

QVOSTQVAM cœlo pulſum dixiſſet, vt eius locus ibi amplius non inueniatur, nec poſsit æternam eccleſiæ ſalutem irritam facere, indicat quo nam in exilium detruſus ſit, cum ſuis copijs vniuerſis, nempe in terram, vt in reprobos tantum, rabiem ſuam exercere valeat. Eccleſiam verò temporalibus ſolum malis afficiat, nec tamẽ aſſequatur quod velit; nempe vt eam ſuppliciorum terrore è terra pellat. Deinde obſeruandum eſt, quam variis titulis à ſpiritu ſancto ornetur, vt omnis eius malitia & fraudes perſpectæ eſſent. Vocatur primò, Draco ille magnus, qui ante verſu tertio deſcriptus eſt. Secundò Antiquus ille ſerpens, qui primos parentes ad inobedientiã ſeduxit, tantò iam callidior, quantò longò vſu & experientia antiquior. Tertiò appellatur græcè quaſi proprio nomine diabolus id eſt calumniator, qui falſis criminibus & delationibus, nunquã ceſſauit, accuſare pios apud Deum, vt eos in odium Dei, ſi quomodo poſſet adduceret. Quartò dicitur Hebraicè Satanas, id eſt, aduerſarius i. uratus hoſtis Chri-

Christi & omnium piorum, à quo nihil nisi hostile expectare debemus, quem & odisse & cauere nostrâ maximè interest. Quintò dicitur seductor totius orbis, cuius quãtæ sint fraudes, & quanto studio à nobis vitandæ, vel hinc scire queamus, quod totum terrarum orbem, id est, maximam mundi partem in errores & adulterinos Dei cultus seduxerit, vnde intelligimus, non esse verè catholicã ecclesiã, quæ maxima hominum multitudine gloriatur, nec vniuersalem ideo dici, quod omnes in eam consẽtiant, cum diabolus hîc vniuersum terrarum orbem decipiat: sed quam omnes pij, matrem agnoscant, licet à reprobis quo ad numerum infinitis patibus superentur.

Vers. 10. ¶ *Et audiui vocem magnam dicentem, &c.*

POST tam illustrem de Satana eiusque exercitu victoriam, cœlestes Deo & Christo eius canunt epinicion. Quo docemur Dei gloriam pro tam ineffabili beneficio nobis in ecclesia semper esse celebrandam. Quod vocem magnam dicit, indicat & multitudinem & studium canentium, omnes enim certatim ad dei laudes cantandas prorumpere debemus.

» *IN cœlo iam facta est salus. &c.* Quis fructus fittam insig-
» nis victoriæ hoc carmine decãtatur. Nã in cœlo factã esse salutem dicentes, intelligunt æternam ecclesiæ incolumitatem, iam manere inconcussam, postquam diabolus qui eam bello opprimere tentauit, fusus & prostratus in terram deijcitur. Virtus dei se ad violentiam Satanæ cõprimendã exeruit. Regnum Dei in sanctos, quod Draco superbus affectauit, pulso Dracone manet inuiolatũ. Tum vero dignitas Christi supra omnem aduersariam potestatem eminet, cuius auspicijs bellum gestũ est cuiusque in superabili virtute, omnes hostium copiæ cum suo duce profligatæ sunt.

» *QVI A proiectus est accusator fratrum nostrorum. &c.* Qui aſ-
» siduis delationibus contra pios institutis, Dei aures assiduò fatigauit, vt perpetuam eis felicitatem eriperet

&

& tanquam mortis æternę reos infernalibus tormentis manciparet. Sed non feret iam amplius Deus, contra sãctos sanguine filij sui ablutos accusationes vllas. Quis enĩ crimina obijciet, aduersus electos Dei. Deus est qui iustificat, quis ergo condemnabit Rom. 8.

¶ *Et ipsi vicerunt eum per sanguinem agni. &c.* *Vers.* 11.

ADMIRABILIS Christi clementia, quod sanctos in laudẽ huius victoriæ assumat, sed quę tamẽ in gloriam ipsius redundet. Gratulantur igitur cœlestes victoriam fidelibus, verum non suo sed Christi sanguine partã licet & ipsi vitam in certamine profuderint. Et pulchrè docet hæc angelica cantio, quibus armis diabolum vincãt fideles, nimirum scuto fidei quæ est in sanguine agni, qui se ipsum obtulit sacrificium pro peccatis eorum, ac gladio verbi Dei, & nominis Christi confessione, cuius eos nunquam puduit corã hominibus, quamuis mortẽ acerbissimam pro ipsius testimonio oppeterent. Ad eundẽm modum comparati esse debent pij omnes, quibus Dei & Euangelij ipsius gloria preciosa est, vt non diligant animas suas ad mortem, quoties id exigit eius confitendi necessitas. Et quamuis absit periculum mortis, idem affectus semper adesse debet, vt non diligamus vitam ad mortẽ, præ incomparabili thesauro Euangelicę veritatis retinendo.

¶ *Propterea exultate cœli, & qui in eis habitatis. &c.* *Vers.* 12.

FRVSTRA cõfertur beneficiũ in eos, cuius qui sunt participes, eo minimè fruũtur. Et sæpe accidit nostra malignitate, vt grandibus beneficijs à Deo ornati, nullũ eorum fructum sentiamus. Hortantur ergo cœlũ & cœlestes omnes, vt iucundissimo tanti boni sensu, tangantur, eàq; propter ineffabili gaudio exultent, quod & Christo gloria, & Ecclesiæ salus hac tam insigni victoria parta sit in æternum.

VÆ habitatoribus terra & maris. &c. Non tam imprecantur

cantur mala impijs, quam grauissima eorum pericula exprimunt, ad quos seducēdos diabolus in terrā furore plenus descenderit. *Terra & maris*, ad uerbum continentis & insularū, figuratè vero intelligit reprobos omnes, qui terrenis ac fragilibus bonis adeo affixi sunt, vt nunquam in cœlum suspiciant, ad quos meritò occæcandos diabolus non magis suo furore per citus, quam Dei iudicio demissus descēderit. Cuius rabiem tanto fore sæuiorem ostendunt, quod certo nouit, breue admodū tempus sibi ad tragœdias excitādas esse cōcessum. Nihil igitur interea prætermittet, quo minus amplam & opimam prædam in casses suos pertrahat. Quid igitur agit?

¶ *Et cum vidisset Draco quod in terram deiectus esset. &c.*

Vers. 13. CVM cœlo se pulsū videt vt æternā ecclesiæ salutē criminādo & calumniando, impedire non possit, cernēs eam in terra adhuc militantem, horrendas persequutiones per satellites suos tyrannos, aduersus eam excitat. Et cum partū mulieris cui diu insidiatus esset, deuorare nō potuisset, ipsā puerperā belluina feritate persequitur. A capite superatus corpus aggreditur. Obseruemus hîc diabolicam quorundam crudelitatē, qui si maxima mala, vt mortem, pijs inferre nō valeant, quibus tamen modis possunt nocere non desistunt, inuolant in bona, famā calumnijs proscindunt, amicos etiam odio prosequūtur,

Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ. &c.

Vers. 14. PRIVS dixerat mulierem partu liberatā, fugisse in desertum. Nunc quibus modis mirabilē draconis in persequendo velocitatem potuerit effugere ostēdit, datæ sunt inquit illi duæ alæ quibus diabolo pernicior evasit, & addit aquilæ magnæ, vt tuto illis fidere potuisse mulierē intelligamus. Per alas agnoscamus varias & inusitatas effugiendi rationes, quas Dominus ecclesiæ aperit, quoties eam è manu tyrannorum fuga ripere statuit.

VT volaret in desertum. &c. De fuga in desertum & admiranda Dei prouidentia, qui in rerū omnium egestate, non solum hospitium, sed etiam alimentum prospiciat,

supra

ſupra attigimus, verſ. 6. Spatiũ vero, q̃ hic ænigmaticõs vocatur tempus tempora & dimidium temporis, idẽ interpretor, quod prius dixit, mille ducẽtos ſexaginta dies, id eſt tres annos & dimidium, vt tempus anno, tempora duobus annis, dimidium temporis dimidio anni reſpondeat, nam apud Danielum, ad quem alludit, tempora in duali numero leguntur vt duo tempora ſignificent. Atq; hæ tẽporis appellationes, ad ſenſum & affectũ exulantis eccleſiæ accommodatæ videntur. Tempus enim calamitatis ſuæ longum putat, deinde ſequuntur duo tempora quæ tœdium augent, tandem vero dimidium temporis, cum res pœnè deſperatæ videntur, abbreuiatos eſſe dies afflictionis iuxta ſeruatoris promiſſũ manifeſto oſtẽdit.

¶ Et eiecit ſerpens poſt mulierem. &c. Verſ. 15.

CENTIES deuictus diabolus, rurſus bellum inſtaurat nec ſi vis illi parũ ſuccedit, abſtinet fraudibus. Mulierem igitur in deſertum fugientem quam dentibus non poteſt, ſequitur conuitijs, mendatijs, calumnijs per hæreticos & hypocritas confictis, quibus eam ſi queat in malam rem abripi cuperet. Et videmus quantum torrentẽ mendaciorum, & conuitiorum per Arrianos, Pelagianos Papiſtas aliosq; id genus hypocritas poſt eam poiecerit, quibus in odium principũ & potentũ & omniũ inſuper qui illis fidem adhibuerunt, eam rapere ſtuduerit, atque etiam ſtudet. Sed nunquam ſuccedẽt Satanæ doli eius, ſequitur enim. Verſ. 16.

¶ Et adiuuit terra mulierem & aperuit os ſuum. &c.

QVI eccleſiam ſuam à ſumma hoſtium vi & crudelitate eripuit, non ſinet eam Satanæ verſutijs capi, ſed terra potius os ſuum aperiet, ſicut olim ad abſorbendum vniuerſam Chore, Dathã, & Abirom factionẽ, quam diaboli arbitrio capillus de capite eius cadet. Et videmus vt omnia hæreticorum aduerſus eccleſiam catholicam commenta, quibus ſperabat Draco abripiendam eſſe mulierẽ tanquam terra abſorpta euanuerunt, ipſa tamen eccleſia, iam tandem è latebris eruta ſtat immota, & ſtabit æternũ

vsque ad mundi consummationem. Notemus hîc cœlum, terram, & omnia quæ in eis sunt, adiumento esse pijs, quoties eos è manu hostium dominus eripere voluerit. Deinde non commouendos nos esse nimium, propter hostium ecclesiæ, hæreticorum & hypocritarum (qui sunt organa diaboli) conuitia & calumnias, quibus & illam & mẽbra eius instar rapidissimi fluminis abripere in odium & inuidiam conantur. Breui enim terra absorbentur omnia illorum mendacia, & in nihilum redigentur nefarij illorum conatus.

Vers. 17. ¶ *Et iratus est Draco aduersus mulierem. &c.*

TOTIES eam, tanto impetu aggressus, toties tam ignominiosè repulsus, non mirum si penitus in furorem agitur diabolus, nec tamen ab incepto desistat. Sed cũ totam non possit varijs quas commentus est artibus opprimere, singula tamen eius membra miro perdendi studio persequitur. Bellum igitur infert reliquijs seminis ipsius, vbicunque per totam terram dispersi sunt; & partim vi partim dolis, nunquã eos oppugnare desinit. Cui fortes in fide resistere debemus, induti vniuersam Dei armaturam, quam describit Apostolus ad Ephesios. 6. Quod verò ecclesiæ filios semẽ mulieris vocat, alludit ad id quod Dominus de semine mulieris, quod caput serpentis contereret, pronunciauit, vt non metuamus illius incursum, cuius caput per Christum contritum, nobis etiam qui semẽ mulieris sumus conterendum traditur. Deinde breuiter exprimit quos numeret inter legitimos ecclesiæ filios, nimirum qui seruant mandata Dei, & Christi fidem quam amplectuntur, etiam palam confitentur.

Vers. 18. ¶ *Et stetit super arenam maris. &c.*

PERTINET hic versus ad sequentis capitis visionem. Visus est igitur sibi Ioannes stare in littore vt bestiam è mari ascendentem cerneret.

¶ Caput

CVM DIABOLVM CAPITALEM ecclesiæ hostem omnia in eius perniciem moliri ostendisset, indicat iam hoc capite, quibus præcipuis instrumentis vtatur, in eius salute oppugnanda, nimirum imperio Romano, id est, Antichristo eiusque crudelissimis ministris.

¶ *Et vidi è mari bestiam ascendentem. &c.*

ANTICHRISTVS belluæ truculentissimæ confertur, quod absque ratione aut vllo humanitatis sensu ecclesiam persequitur. Deinde non ζωον dicitur sed θηριον, id est fera & immanis quædam bestia. Nam ex brutis quædam licet ratione careant, sunt tamen mansueta & innoxia, sed Antichristus indomitæ feritatis bellua est, omni mansuetudinis specie vacua. Non secus enim ac fera fame rabida, in oblatam sibi prædam, Antichristus sæuit in ecclesiam. Quin etiam è mari ascendere dicitur, vt ipso ortu indicet, quale futurum sit eius dominium, nimirum turbulẽtum, & tempestuosum, varium, & incõstans. Et historiæ testantur, è quantis bellorum fluctibus, & tumultibus Romanum imperium emerserit. *Vers.* 1.

HABENTEM capita septem. &c. Numero capitum & cornuum se prodit mõstrum hoc, à quo patre sit prognatum, nempe dracone magno, cuius ingenium ad amussim refert. Quamuis enim Romanorũ Monarchia, diuinitus erat ordinata, vt omnes potestates sunt à Deo, tamen quatenus fraudibus, tyrannide, crudelitate, libidine, abũdabat, & ecclesiam Christi persequebatur, à Diabolo erat maximè vero cum tota eius, potestas, ad Papam deuoluta est, qui præcipuè sub hac bellua figuratur, Satanæ proles dubio procul agnoscenda est. Verum cum aliæ etiam eius notę, ex numero capitum ac cornuum ab angelo proponuntur, capite. 17. non prius illas attingemus, quam ad locum illum perueniamus. Quod decem diademata gerat in cornibus, cum Draco septem tantum in capitibus, ad illud referri videtur, quod cornua decem reges signi-

ficant, qui initio consules erant tantum & præsides prouinciarum, sed cum bellua hæc secundò emerserit, vna hora regiam potestatem accipiēt cum bellua, de quibus posteà Capite. 17. Gestat autem in capitibus nomen blasphemiæ, cum se caput ecclesiæ vniuersalis vocat. Etsi enim in decretis ipsius, alijsque scriptis ab eo approbatis, horrendæ blasphemiæ reperiantur, in quibus, nunc nec Deus nec homo, sed quasi neuter inter vtrunque, nunc Christus, nunc Dominus Deus noster, nunc Deus supra omnes Deos vocatur, illud tamen nomen, palam in capite omnibus conspicuum præfert, quo se Christi quasi absentis vicarium iactitat, & omnium causarum cognitionem, ad se vnum rapit, nec vllo errore labi se posse gloriatur. Similes blasphemias effutiuerunt antecessores eius, Caligula, Nero, Domitianus, Diocletianus, qui se vt Deos coli præceperunt, extructis templis, & altaribus, numini eorum consecratis. Sed nulli impudentius quam pontifices Romani, nam Cæsarum væsaniam, omnes ludibrio habuerunt, licet turpissimè eis adularentur, at Papæ diuinitatem omnes ferè agnouerunt seriò, & ab eò petierunt, quæ solius Dei proprium est concedere, vt remissionem peccatorum & id genus alia.

Vers. 2. ¶ *Et bestia quam vidi similis erat. &c.*

EX hac descriptione luce clarius est Romanum designari imperium, quod reliquorum trium regnorum potentiam, in se continebat, quæ per leonis, vrsi, & pardi, similitudines depinguntur Danielis. 7. Quarta verò Monarchia, id est, Romanorum, ex omnium superbia, rapacitate, crudelitate, conflata, omnibus erat dissimilis. Habet igitur corpus simile pardo, qui Alexandrum magnum significabat, ad prædam persequendam velocissimum, pedes vrsi habet, quibus rapacitatem Persarum & Medorum adequat, os verò leonis, quo fastu & superbia, Assyrios & Chaldeos superat, & omnium beluarum truculentiam crudelitate vincit.

„ „ *ET dedit illi Draco. &c.* A diabolo nocendi & perse-

quen-

quendi potestatem accipit, quin etiam sedem ipsius in terra occupat, vt in nullo magis Satanæ potestas sit cõspicua, quam in vicario suo Antichristo, & hæc est sedes illa, & auctoritas papæ, de qua tantopere gloriantur, nimirum thronus Diaboli, & potestas ab illius manu accepta. Sed quæritur quomodò possit diabolus largiri Antichristo imperium, cum omnes potestates sint ab eo, à quo etiam impijs & tyrannis conferuntur. Sed in tyrannica potestate duo sunt consideranda, alterum Dei ordinatio, qui omnia regna pro arbitrio disponit, quibus vult: alterum verò ipsorum fraudes, proditiones, crudelitates, quibus ad gubernaculum aspirant, quæ sunt à diabolo. Diabolus igitur Antichristo concessit potestatem & auctoritatẽ, quatenus eius impulsu per omne nefas & impietatem, eam tyrannidem assequuntur qui illam sedem occupant.

¶ *Et vidi vnum ex capitibus eius vulneratum ad mortem. &c.* *Vers.* 3.

CONCEDVNT ferè omnes grauẽ Antichristianę potestatis imminutionem hoc vulnerato capite significari, sed quando vulneratum sit, non conuenit. Alij enim sentiunt tum fuisse vulneratum, cum Ioannes Hus & Hieronymus, Antichristi fraudes detegendo, magnam regni Bohemici partem à sedis illius auctoritate abalienauerũt, alij de Iulio Cæsare, alij de Nerone interfecto exponunt. Nonnulli ad vrbem Romanã captam, incensam & direptam à Gothis, referunt. Mihi verò qui per bestiam, non legittimã imperij administrationẽ, sed tyrannicã in persequenda ecclesia potestatẽ, intelligo, tum demũ vulneratũ fuisse ad necem caput illud videtur, cum Constantinus magnus, interfectis Maxentio & Licinio tyrannis postremis ethnicorum Cæsarum persecutoribus, pacem ecclesijs concedendo, teterimũ illud Antichristi caput lætali plaga percussit. Sed non multò post sanatum est illud vulnus, per impios Cæsares, Constantium, Iulianum, Valentem, & alios, ex quibus alij hæretici, Iulianus verò

desertor fidei, ecclesiam othodoxam persecuti sunt, donec tandem sanguinarius tyrannus, & domini sui Mauritij interfector Phocas regnum Antichristianum Bonifacio papæ resignauit, in quo & successoribus eius, planè reuixit caput illud diabolicæ tyrannidis ab Cõstantino pœnè amputatum. Interim tamen agnosco horrendas clades quæ legitimo Romanorum imperio inflictæ sunt, à barbaris, Gothis, Vandalis & Saracenis, Romani pontificis dominationi viam præstruxisse. Quin & illud constat, ex eruditorum literis, & monumentis, episcopatum Romanũ, à Syluestro vsque ad Sabinianum, opibus auctum, & indulgentia Cæsarum in externum dominatum paulatim degenerasse, donec tandem ad apicem Antichristianæ auctoritatis ascenderit. Vnde magno orbis miraculo, fuit stabilitum eius imperium, à tam obscuris initijs, in tantam sublimitatem prouectum.

¶ *Et adorauerunt draconem. &c.*

Vers. 4. MIRVM est quod dicit homines, adorasse diabolũ, quẽ omnes vbique execrantur. Sed intelligit cultum & obediẽtiam, quæ à seductis hominibus præstatur Antichristo, ad diaboli regnum propagandum pertinere, cum Satanam in suo vicario aut legato honore afficiunt. Quem admodum regem adorant, qui substitutos illi ab ipso magistratus reuerentur suspiciunt. Idque exprimit cum addit continuò & adorauerunt bestiam dicentes, quis similis bestię? cuius tanta est potestas, vt peccata hominibus remittere queat & regnum cœleste quibus vult aperire. Quis poterit pugnare contra eum? qui Imperatores & reges, quoties vult è solio detrahit, sententias Anathematis contra hostes eius fulminat, & suos aduersarios ad orcum vsque per plenitudinem potestatis detrudere valeat. &c.

¶ *Et datum est illi os loquens magna & blasphemias. &c*

Vers. 5. SI quis miretur quomodo ferre posset tantas blasphemias diuina maiestas, quas contrà eam diabolus & Antichristus euomunt: occurrit Ioannes, indicans diuinitus

hoc

hoc permitti, vt se efferat super omnem altitudinem Antichristus, quo reprobos seducat, quibus iusto Dei iudicio efficacia erroris immissa est, vt credant mendacijs, qui veritatem spreuerunt. 2. The. 2. Ex hoc loco colligimus, nō posse prorumpere impios ad cōtumelias aduersus Deum, pro sua libidine, nisi permittente Deo, vt in suam perniciem linguis suis abutantur. Deinde obseruemus, quod nihil crepet Antichristus, nisi magnas res, & blasphemias. Quicquid enim illi iactant, tanquam magnificum, de papæ dignitate, auctoritate, clauibus, gladijs, alijsq; eius prærogatiuis, mera est blasphemia, qua Christi supra ecclesiam locum sibi vendicat. Imò vniuersa doctrina pontificia, de missæ sacrificio, Purgatorio, satisfactionibus, operibus supererogationis, alijsque id genus monstris, infinitas blasphemias continet.

Et data est ei potestas faciendi, quadraginta duobus mensibus. &c. Hæc clausula indicat non potuisse Antichristum obtinere in mundo, nisi Dei occulto sed iusto iudicio. Sed hæc potestas limitibus clauditur, vt nō possit regnare quā diu velit, nec suam impietatem exercere, sed terminatur mēsibus. 42. illius tyrannis. De numero hoc mēsiū, quid sentiēdū arbitror, exposui capite. 11. vers. 2. Hic satis erit obseruare, breue hoc dimidiati hebdomatis spatium, ad piorum consolationem poni, ne æternam fore Antichristi tyrannidem metuant.

Et aperuit os suum in blasphemiam. &c. Vers. 6.

Concessa semel blasphemādi potestate, os suū ad multiplices blasphemias aperit, nā & Deū ipsum, & nomē eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant, indignis contumelijs afficit. Ita non sat habet, Dei maiestatem conuicijs aspergere, sed & nomen eius, id est, cultum & religionē, quam ipse præscripsit, ad nomen eius sanctificandum, vt falsam & hæreticam damnet, nouamque è suo cerebro cudat. Quin etiam, tabernaculum Dei id est ecclesiam, in qua Deus habitat per spiritum suum, ignominia afficit, cum eam nihil aliud quam hæreticorum &

ſchiſmaticorum conciliabulum vocat. Eos qui in cœlo habitant dupliciter accipere poſſumus, vel pro veris eccleſiæ membris quos Lutheranos Zuinglianos, &c. magna eorũ contumelia appellat, vel pro ſanctis iam in cœlo triumphantibus, quos varijs calumnijs proſcindit, aut cum eos ſuæ impietatis patronos gloriatur, aut eorum doctrinam erroris damnat, aut cum illis templa, imagines, dies feſtos, alioſque diuinos honores decernit, ex ſanctis Dei cultoribus idola faciens, vt taceam quam putidis mendacijs vitam eorum in legendis, martyrologijs, & id genus ſcriptis extollit, quæ omnia merę blaſphemiæ ſunt in ſanctos cœlum incolentes. Quæ verò in ipſum deum iaculetur cõuitia prius attigi verſu primo.

¶ *Et datum eſt illi bellum facere. &c.*

Verſ. 7. SIGNIFICAT nihil potuiſſe Antichriſtum, niſi quatenus ei diuinitus permiſſa eſt facultas. Quod igitur ſæuit in ſanctos Chriſti martyres, nõ id facit pro ſua aut Satanæ libidine, tunc enim omnes ad vnũ veros dei cultores extingueret, ſed Deo volente, ob pœnã reproborũ & examẽ ſuorum, quos varijs tẽtationibus probari perquã vtile eſt. Data eſt Antichriſto poteſtas, bellum ſuſcipiendi contra ſanctos, eoſq; varijs cruciatibus torquendi, donec de multis eorũ millibus interfectis, luctuoſam victoriã reportet. Nec in vna tantum regione, hæc tyrannis graſſatur, ſed vbiq; per totũ terrarum orbẽ catholica eſt hæc crudelitas. Id quod partim ex hiſtorijs accepimus, quot martyrũ myriades trucidatæ ſunt per Cæſares, & Pontifices Romanos, partim quotidiana experientia edocti ſumus.

¶ *Et adorabunt eam omnes habitatores terræ, &c.*

Verſ. 8. QVEMADMODVM præcedẽtim verſu, in corpora ſanctorum ſequiturum prædixit, ita præſenti in quorum animas valebunt impoſturæ eius oſtendit. Nẽpe contra reprobos ſolum, qui non ſunt ad vitã æternã in Chriſto prædeſtinati. Quem vocat agnum ab initio mundi occiſum, q vis & effectus illius ſacrificij, etiam ante corpus aſſumtum patri-

patriarchis ab initio ſęculi profuit, ſicut & omnibus electis vſque ad mundi conſummationem. Reprobi itaq; partim illius fraudibus ſeducti, partim crudelitate in repugnantes perculſi, eius imperium agnoſcent, ipſumq; turpiſſimi idoli loco adorabunt. Non enim valebunt illius fraudes & impoſturæ, niſi in his qui pereunt.

¶ *Si quis habet aures audeat. &c.* *Verſ. 9.*

REM ſumma animaduerſione dignam innuit, quoties tanto ſtudio attentionem excitat. Diligẽter igitur ſequentem doctrinam animo penitus imprimere debemus, ad quam audiendam ſpiritus ſanctus quaſi nominatim vnumquemq; noſtrum vocat.

¶ *Si quis in captiuitatem ducit in captiuitatem abit. &c.* *Verſ. 10.*

LEX talionis à Deo optimo maximo decreta eſt, omnibus tyrannis, & his qui eccleſiam Dei crudelitate opprimunt. Manet captiuitas æterna eos, qui ſanctos duxerũt captiuos. Qui martyres gladio interfecerunt, morte perpetua, gladio furoris Dei ſunt occidendi. Quin & ſigna quædam huius iuſtitiæ extare vult in mundo Dominus, vt agnoſcant omnes non euaſuros vindictam, qui belluaram in morem contrà innocentes crudeliter rabiunt. Iuxta illud poëticum: Ad generum Cereris, ſine cæde & ſanguine pauci Deſcendunt proceres aut ſicca morte tyranni. Nam ſi è Cæſaribus numeremus præcipuos perſecutionum auctores, varijs cędibus à Deo fuiſſe extinctos agnoſcemus. Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Licinius, Iulianus cum alijs plurimis, cruenta morte interemti ſunt. Quare non ita permittitur Antichriſto cædes ſanctorum, vt eam Dominus ſemper inultam ſinat. Quamobrem hîc fide & patientia opus eſt ſanctis, quod proximè ſequitur, niſi enim permiſſa eſſet Antichriſto poteſtas exercendi tyrannidem, quod nam eſſet fidei examen? quæ patientię probatio? Hîc igitur fides & patientia ſanctorum ſpectari debent.

¶ Et

Verſ. 11. ¶ *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem è terra. &c.*

SEQVTVR iam alterius belluæ deſcriptio, quæ priorē confirmat, vt ſciamus quibus inſtrumentis vtitur Antichriſtus, ad ſuum regnum ſtabiliendum. Nam ſicut Draco habet belluam ſepticipitem, vicarium: ita bellua ſepticeps, hanc bicornem. Cuius formę fuerit hæc bellua non exprimit, quanquam certum eſt monſtrum fuiſſe, quod è terra id eſt obſcuriſsima origine naſcebatur, ad propagandū Antichriſti imperium.

„ *ET habebat duo cornua ſimilia agno. &c.* Nihil habuit agno
„ ſimile, prēter duo cornua, reliquo corpore deformis, & ferinam naturam prēſeferēs. Cæterū ex his cornibus quidam colligunt papam per hanc belluam adumbrari, qui regni & ſacerdotij potentiam ſibi arrogat. Quod vt eſt probabilē, ita nō video quomodo omnia huic expoſitioni cohærere poſsint, quæ de vtraque beſtia poſtea ſæpe repetuntur. Rectius igitur meo iudicio, interpretantur alij, clerum papalem, qui ad pontificis ſui dignitatem aſſerendam, totis viribus contendunt, hij aliquid Chriſto ſimile habere volunt, vel cum eius ſe miniſtros eſſe iactitant, vel cum ſęcularem ſimul ac ſacerdotalem ſibi auctoritatē vendicant. De prælatis loquor Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis. &c. qui & Regiam & pontificiam dignitatem vſurpant.

„ *ET loquebatur ſicut Draco. &c.* Vtcunque cornuum nume-
„ ro, aliquam Chriſti ſpeciem præſeferre videtur, voce tamen prodit Draconis ſe eſſe præconem, non Chriſti. Hæc enim beſtia, quę poſteà Pſeudopropheta dicitur, ſi doctrinam eius ad verbi Dei regulam certiſsimam examinare velimus, omnino diabolica & cum Dei veritate ex diametro repugnans inuenietur. Vt cætera omittam argumenta, quæ pœnè infinita ſunt, ne ſim prolixior, vnum illud Apoſtoli Pauli teſtimonium, priore ad Timotheum, capite quarto, vocantis nuptiarum & ciborum prohibitionem, doctrinam dæmoniorum, ſatis arguit Pſeudoprophetam hunc, qui ex papæ præſcripto eadem doceat, ea

loqui

loqui quæ Draco magnus ei inspirat.

¶ *Et potestatẽ primæ bestiæ omnem facit in conspectu eius. &c.* *Vers.* 12.

ANTI Christi potestas ad primarios eius ministros extenditur, itaque per eos potestatem suam exercet hoc est quod dicit, bicornem hanc bestiam, omnem prioris belluæ potestatem facere in conspectu eius.

ET facit terram & habitantes in ipsa. &c. Clerus papalis, manibus pedibusque nititur, vt omnes vbique Romani pontificis auctoritatem agnoscant, ab eo indulgẽtias, dispensationes, Imperia etiam & regna, omnes petant, eique humile obsequium præstent, quod dum omni studio conficere laborant, veterem illam Ethnicorum tyrannidem reuocant, quæ semel lætali vulnere percussa, nunc tandem illorum ope penitus conualuit.

¶ *Et facit signa magna. &c.* *Vers.* 13.

PRÆDIXIT etiam Paulus, aduentum Antichristi futurum esse in signis mendacibus. Quia & Christus ipse vaticinatur venturos esse Pseudoprophetas qui æditis prodigijs, multos fallerent, adeo vt si fieri potuisset, electi etiam in eorum perniciem seducti traherentur. Hic autem Pseudoprophetes tanquam Elię simius, ignem è cœlo facit descendere in terram, coram hominibus, quæ omnia aut fieri finguntur, aut per impostúras Satanæ, hominum oculos perstringentis ostẽtantur, qualibus miraculis plenæ sunt Sanctorum papalium legendæ. Imo res admirandæ quas gerunt, suis consilijs & auctoritate in repub. pro signis magnis meritò haberi possunt, vt cum regna à legittimis hęredibus ad alios transferunt, alios imperatores deponunt, alios substituunt, & alia eius generis stupenda hominibus miracula. Cæterum toties admonemur in scripturis, de signis, miraculis, & prodigijs per pseudoprophetas ędendis, ne vllis operibus quamlibet stupendis, abduci nos à verbo Dei sinamus contra cuius veritatem, ne Angelis quidem è cœlo descendentibus fides adhibenda est. Contra

tra Pseudoprophetarum mos semper fuit, à verbo dei ad miracula prouocare, vnde & à nobis exigunt papistæ, vt ædamus miracula, ac si doctrina quam profitemur, infinitis Christi & Apostolorum eius miraculis nõsit satis confirmata.

Vers. 14. ¶ *Et seducit habitatores terræ. &c.*

QVEM in finem signa magna coram hominibus æderet, hoc versu ostendit, vt plurimos mortalium in errorem seducat. Talia igitur miracula, cum auctoribus sunt execrãda fidelibus, quibus à simplicitate verbi Dei, ad hominum commenta auocantur. Sed obseruatu dignum est, quod datũ esse illi dicat, vt signa faciat in conspectu prioris bestiæ, Deus enim vt testatur Paulus, dabit eis efficatiam erroris vt credant mendatio, qui fidem adhibere noluerunt veritati. 2. Thess. 2.

" *DICENS habitatoribus terræ. &c.* Atque hoc est genus " erroris in quem seducit miseros homines, vt papã pro Deo vel potius idolo agnoscant, eiusque imaginem sibi adorandam quasi numen aliquod constituãt. Sed per imaginem bestię quidam intelligunt, Romani imperij quod collapsum erat, restitutum esse simulachrum quoddam in papatu. Cui sententiæ libenter subscriberem, si non & bestiam & imaginem eius, eodem tempore extare, visio exprimeret. His adde, quod ab habitatoribus terræ, fieri debet imago prioris bestiæ, ex consilio & suggestione huius belluæ. Postremò quod bicornis hæc bellua, prioris feræ dignitatem omnibus modis studet extollere, papa verò nõ vetus Romanorum imperium, sed se ipsum adorandum proponit. Expono igitur imaginem hanc esse auctoritatẽm papæ, quam à clero pontificio suscipere iubentur omnes, per eius legatos à latere ad se delatã, ac in curijs quas vocãt Christianitatis, in quibus ius põtificiũ dicitur, & papa ipse summ⁹ iudex est agnoscere. Quæ quidẽ auctoritas, in curia aut legato à latere residẽs, imago papæ iure appellari potest. Quod autem toties repetit sanatam esse plagã capitis eius lætalem, fit vt agnoscamus licet specie aliquã

tum

tum diuersa, eandem tamen esse belluam, quæ tam multas martyrum strages ædidit, cuius crudelitas licet ad tempus compressa & quasi intermortua videbatur, tandem ad parem aut maiorem tyrannidem exercendam reuixerit.

¶ *Et datum est ei dare spiritum. &c.*

SEMPER repetit datum esse ei, vt intelligamus, etiã impiorum consilia & actus Dei arbitrio disponi, nec quicquam omnino posse reprobos, nisi quod à Deo permittitur. Porrò ne mortuam hîc imaginem fuisse suspicemur, adijcit spiritum ei à bestia, eius sacer dote, fuisse inspiratum adeo vt loqueretur imago, bellua nempe per legatos, aliosque curiæ papalis iudices, qui ius pontificium dicant, ita vt iam animatam & loquacem habeamus imaginem, non mutam & mortuam. Sed obseruemus quomodò paulatim incrementa sumit papæ tyrannis. Principio enim allicit tantũ & seducit per miracula, seductis suadet ponere belluæ in singulis ciuitatibus imaginem, cui positę, vitam inspirat & loquendi facultatem tribuit, postremò adorandã sub pœna mortis præcipit. Scimus enim capitale fuisse crimen, si quis Pontificis potestatem in legato contemneret. *Vers.* 15

¶ *Et facit omnes paruos & magnos. &c.*

NON contentus pœnam mortis tulisse, omnibus quotquot Imaginem bestiæ adorare, id est, auctoritatẽ papæ agnoscere recusarent: Omnes etiam cuiuscunque sint conditionis, in seruitutem illi addicit, cogens singulos, eius characterem tanquam mancipia illius, suscipere, vel in manu dextra, vel in fronte. Per dextram manum qua geruntur actiones huius vitæ, significat, in omnibus actionibus quicquid homines cuiuscunque ordinis sint, principes, vel priuati aggrediuntur, semper reseruandã esse Romanæ sedi suam prærogatiuam, vt nihil contra eam quouis modò decernatur. In frontem vero imprimitur eius charagma, vt semper & vbique testarentur se ipsos sedis Apostolicæ, vel apostaticę potius esse mancipia. *Vers.* 16.

¶ *Et*

¶ *Et nequis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, &c.*

Vers. 17. NEQVIS æstu aliquo subterfugere possit, hanc subiectionem, constituit ne quis emere aut vendere possit, id est, vllam actionem ad vitæ huius sustentationem necessariam exercere, nisi qui se subditum huic potestati fateretur. Deniq; exulare oportet hominem è mundo, nisi seruile hoc iugum subire vellet. Tria verò ponit, characterem, nomen, & numerum nominis, quæ eodem spectant, & significant aliquo externo signo aut cęremonia, seruitutem hanc esse omnibus profitendam, vt se latinæ ecclesiæ membrum agnosceret, quisquis vitam in eius ditione ageret.

¶ *Hic est sapientia qui habet intellectum computet numerum, &c.*

Vers. 18. QVIA valdè obscurum erat hoc mysterium, præfatur Ioannes, hîc latere sapientiam, quia tamen hominis est numerus, id est, qui humano ingenio erui possit, & nõ infinitus, prudentes qui mente præditi sunt, prouocat ad computandum: numerus est enim .666. Plurimas quæ hîc afferuntur expositiones omittam, eam solum adducam, quæ mihi maximè arridet, quam Irenæus suo sæculo non diu post acceptam reuelationem hanc, multis placuisse asserit. Nempe λατεινος nomen esse bestiæ, cuius nominis numerus, ex computatione numeralium literarum, ad 666. assurgit. Quod si Irenęi sæculo verisimile visum est, multo magis nobis, cum Romanus pontifex in publicis precibus, in legibus, in scriptis, in fide latinus sit & haberi vult. Deinde latinus esse debet, quicunque non vult dici Græcus. i. schismaticus, vt rectè præcedẽti versu, numerus nominis eius, etiam suscipiendus sit pro charactere. Alij ex ecclesia Italica, eundum numerum eliciunt, quod non repudio, cum siue ecclesiam, siue caput eius quæras, vtrunque in huius numeri mysterio inuenias.

¶ Caput

QVO PACTO ADVERSVS ANTIchristi tyrannidem perstiterit ecclesia, docetur hoc capite, deinde casus & ruina impietatis, per euangelij promulgationem prædicitur. Fideles admonentur, vt à bestiæ corruptelis sibi caueant, quia breui subsequuturum sit extremum Dei iudicium.

¶ *Et vidi & ecce. &c.* *Vers.* 1.

CVM omnes tribus, linguas, populos, & nationes, fœdissimæ belluæ auctoritatem agnituras, præcedente capite prædixisset: cum sanctos etiã à crudelissimo illo monstro debellandos fore pronunciasset, omnes deniq; quotquot huius vitæ commercia exercere vellent, seruitutem turpissimam professuros præmonstrasset, possemus iure dubitare si de tota Christi ecclesia penitus actũ esset, postquam Bestia trunculenta imperium inuasisset, nisi hac visione tã ecclesiæ cõseruatio, quã tyrãnidis illius destructio consequenter exposita fuisset. Quemadmodũ igitur. 12. capit. Michaelem cum Dracone decertantem, ita hîc Agnum monstrosæ bestiæ ex aduerso collocatum videt. Sed absurdum videtur quod crudelissimæ feræ, mitissimũ agnũ opponit. Verũ meminisse cõuenit, ostẽdi Christũ nõ qualis sit hostibus, sed qualem se præbet suis. Est enim inimicis, leo ille de tribu Iuda, pijs verò agnus ab origine mundi occisus, tam suis amabilis, quam hostibus terribilis.

ET tantem super montẽ Sion. &c. Mons Sion vetus est ecclesiæ nunquam interituræ figura, de quo extant tam magnificæ promissiones, quod eum nunquam deserturus sit Dominus. Nã ab eo loco in totũ terrarum orbẽ, euangelij doctrina dimanauit, iuxta vaticinia veterum prophetarum, & Christi ipsius mandatum quod dedit Apostolis Actor. 1. Eritis mihi testes in Ierusalẽ, & tota Iudæa, & Samaria & vsq; ad fines terræ. Quod igitur Iudæis erat mons Sion, id nobis est vniuersus orbis, si locum spectemus, vbicunque terrarum pij Euangelij professores reperiantur, cui suffragatur Esaias capit. 2. Et erit mons domus Domini

ſupra omnium montium altitudinem ſublatus, & ad eũ populi oẽs congregabuntur. Perperam igitur faciunt, qui ſingularem aliquam vrbem, aut locum oſtentant, ad quẽ alligata ſit eccleſia, vt papiſtæ Romam, niſi ad eam ciuitatem ſepticollem (quæ eſt eorum impudentia) tranſlatũ Sionem montem iactitent. Sed ſatis conſtat ex ſcripturis, ſedem Dei à Sione in totum terrarum orbem eſſe tranſfuſam. Chriſtus igitur ſuper montem Sionem ſtare dicitur cum implet quod alibi promiſit, ecce ego vobiſcum ſum vſque ad finem ſeculi: & ſi quæramus vbi? reſpondet Lucæ 17. vbicunq; fuerit cadauer, eo congregabuntur aquilæ. Docet hic locus, vel hoc nomine eccleſiam fore perpetuã, quod ſedes ſit Agni, cui nunquam deficiet mons Sion, in quo cum caſtis ſuis cultoribus ſtare poterit..

,, *ET cum eo centum quadraginta quatuor millia. &c.* Chriſto
,, capiti adiungitur cœtus fidelium Dei electorũ, ex ſingulis duodecim tribuum Iſraelis collectus, vt legimus ſupra capite ſeptimo. Nunquã enim adeo regnat impietas in mundo, quin ſuos habeat Deus, bene multos, licet reprobis lõgè pauciores, quos ab Idololatria, fordib⁹, & inquinamentis, puros conſeruat, quemadmodum Eliæ ſęculo ſeptem millia ſibi reſeruauit Deus, qui à Baalis turpitudine impolluti manſerant

,, *HABENTI Anomen patris eius ſcriptũ in frontibus eorũ. &c.* Id eſt quorum electio non ſolum intus in cordibus per ſpiritum ſanctum obſignata eſt, ſed externa etiã profeſsione, apud homines teſtata. Teſtantur enim tota vitæ conuerſatione, cuius ſunt ſerui, vt Dei nomen in frontibus eorum impreſſum, cuiuis promtum ſit legere.

Verſ. 2. ¶ *Et audiui vocem è cœlo. &c.*

NEc otioſa eſt, nec elinguis multitudo, quæ Chriſtum comitatur, ſed in dei gloria celebranda, ſemper maximo ſtudio intenta. Audit igitur, Ioannes clarã è cœlo vocẽ: Sed mirũ cur è cœlo, cũ paulo ante agnũ ſuper montẽ Sionem vidiſſet ſtantem. Significat igitur, nõ collem terreſtrem, ſed cœleſtẽ illũ, qui cœleſti Hieroſolymæ reſpõdeat,

eſt

est enim ecclesię in terra peregrinantis πολίτευμα in cœlis.

TAnquam aquarum multarum. &c. Triplici similitudine vocis quam audierat magnificentiam illustrat. Primò quod similis sit mugitui illo, quam aquę multæ ventis cõtrarijs agitatæ, saxa aut littora pulsantes exhibent. Hic sonus magnus est, cõfusus, & turbulentus, talis primo aspectu videtur vox Dei laudes personantium in ecclesia. Deinde referebat vox illa terribilis tonitrui fragores. Percellit enim mentes hominum peccatorũ, & præcipuè ingratitudinis sibi cõscias, cum gloriam Dei à fidelib⁹ eius cultoribus decantari audiant. Postremò cum subacti sunt in ob sequium Dei hominum animi, & amabilis illius gratię dulcedine perfusi, summa cum voluptate audiunt, iucundissimam harmoniam quasi citharœdorum citharis psallentium. Vera hæc est musica, cuius vsus est in ecclesia, potius quam modulatrix illa, quæ voce tantum strepit, & externas aures demulcet, cum tamen animus omni pietatis sensu vacuus sit.

¶ Et cantum quasi canticum nouum coram throno. &c.

TANTA est alacritas piorum in Dei gloria illustranda, vt cum nihil sit in ecclesia antiquius, quã diuinarum laudum concelebratio, semper tamen quasi nouum canticum sibi decantare videntur. Nunquam enim senescit diuini erga eos beneficij recordatio, nec vnquã deficit laus Dei, in ecclesia, quæ indefesso studio, in eius gloria magnificanda semper incumbit. *Vers.* 3.

CORAM throno & coram quatuor animalibus. &c. Hoc est coram deo, angelis, & vniuerso mundo, assiduò viget in ecclesia, hoc canendi exercitium, quod & Deo probatum & omnibus creaturis Dei contestatum est.

ET nemo poterat. &c. Nemo reproborum ne hypocritarũ quidem, vel maximè simulantium sanctitatem, hanc cantionem discere poterit, sed soli electi, quibus spiritus sanctus redemtione in cordibus obsignata, eam dictare soleat, vt quem abba & patrem agnoscant, eidem alacri & syncero cordis affectu hymnũ laudis modulẽtur. Vbi sunt

igitur psalmi precesque non intellectæ, ex opere operato placentes Deo? vt astruunt papistæ. Tales enim cantiones, cuiusuis hypocritæ est discere, & personare, sed tales non probantur Deo.

Vers. 4 ¶ *Hi sunt qui cum mulieribus non polluti sunt virgines enim sunt. &c.*

HORVM professioni, vitæ conuersatio respondet. Non enim idonei essent ad Dei laudes celebrandas, nisi è puro & impolluto corde, eas proferre possent. Cæterũ ab vna specie reliqua sordidæ vitæ inquinamenta innuit. Liberi sunt à scortatione & alijs etiam vitijs grauioribus. Quanquam per scortationem Idololatriam, prò more scripturæ intelligere licet, & alia etiam vitia quę faciunt diuortium inter Christum vnicum ecclesiæ sponsum, & homines. Hæc est enim Deo charissima virginitas, cum se ab adulterinis superstitionibus & alijs mundi pollutionibus, immaculati conseruant pij quemadmodum septem illa millia sua commendat Deus, quod nulla Baalis fœditate conspurcati essent. Et Paulus despondit Corinthios Christo virginem castam, quæ adulterinis hominum commentis quasi meretricijs lenocinijs abduci se à Christo nõ pateretur. Quod verò hinc cœlibatum cleri papistici, Romanenses stabilire volunt, prorsus absurdum est. Non enim de quauis commixtione cum fœminis, loquitur spiritus sanctus, sed de ea solum, qua polluũtur homines, sed coniugalem thorum esse ἀμίαντον, hoc est impollutum testatur Apostolus ad Hebræos capite decimo tertio. Nec quicquam pro eis facit, quod virgines vocentur. Hoc enim ad vniuersum electorum numerum pertinet, non solum ad ministros verbi, multò minus ad sacerdotes papisticos, ex quibus vt multi cœlibes, ita paucissimi virgines, immo vix millesimus quisq; est quin aut scortatione, aut præposteræ venere, aut saltem praua vsuone pollutus fuerit, vt cũ cœlibatum eis demus, virginitatem prorsus denegare possimus.

Hi sunt qui sequuntur agnum quocunque vadit. &c. Vera ecclę-

ecclesiæ membra nunquam à Christo capite suo desiungũtur, & veri Dei cultores ne latum vnguem à Christi latere discedunt, ille pastor est, oues isti, sequuntur igitur agnũ quocunque illos duxerit. Si igitur ecclesiam inuenire studemus, Christum sedulo quæramus, non Romæ, aut Hierosolymæ, sed in ecclesia per totũ terrarũ orbem diffusa.

Hi redemti sunt ab hominibus, primitiæ Deo & agno. &c. Si quæras cur istis ad Christum tam familiaris patet accessus, ratio redditur, quod non sint iam ex perdita illa humani generis colluuie, sed redemti ab hominibus, & à turpissima Diaboli seruitute, in libertatem filiorum Dei asserti. Deinde finem redemtionis ostendit, cum dicit esse primitias Deo & agno. Scimus primitias Deo fuisse consecratas, vt non liceret profanis eas attingere. Redemti sunt igitur fideles à terra, & ab hominibus, vt Deo in sanctitate & innocẽtia seruiant ad laudem gloriæ ipsius. Admonemur hoc loco, quam sanctè & religiosè colenda sit vitæ innocentia omnibus pijs, cum sint Deo & Christo primitiæ, quædam, non ad nostrum vsum, nec ad mundi aut Diaboli seruitutem, sed ad Dei gloriam consecratæ. Deinde quam horrendum sit sacrilegium, Deo & Christo suas primitias eripere. Easque diabolo, carni, aut mundo, sacrificare.

¶ *Et in ore eorum non inuentus est dolus. &c.* Vers. 5.

PERGIT in eorum puritate prędicanda, qui agno comites adhærent. Nihil enim impurum aut corruptum illi adhærere potest. Sed absurdum videtur, quod eos ab omni sceleris & peccati labe immunes constituere videtur, quod est solius Christi priuilegiũ, nec alteri cuiuis filio Adam conuenit. Vulgus refert ad infantes, ab Herode crudeliter mactatos, quos innocentes vocant. Sed futile, id est somnium, cum numerus iste omnes electos cõplectatur, qui non sua iustitia, sed quatenus Christo capiti tanquam viua eius membra adhærent, inculpabiles sunt in conspectu Dei.

¶ *Et vidi alium angelum volantem per medium cœli. &c.* Vers. 6.

HACTENVS eccleſię è medijs Antichriſtianæ perſecutionis fluctibus ſeruatę figuram expoſuit. Nunc ad Antichriſti ruinam prædicendam conuertitur. Videt igitur angelum per medium cœli volantem & Euangelium æternum quod orbi prædicandum ſit, palam & publicè deferentem. Qua figura ſignificatur, veritatis Euangelicæ lucem, quæ diu per Antichriſti perſecutiones & tenebras obſcurata videbatur, ſingulari Dei beneficio, rurſus orbi terrarum eſſe reſtituendam, quod noſtro ſęculo adimpletum eſſe niſi ſentiamus, lapides ſumus, non homnines. Iã enim non in angulis aut obſcuris latebris, ſed per medium cœli, volat angelus, Dei miniſter, & æternum illud Euangelium, quod tamen hoſtes eius nouum & nuper natũ vociferantur, rumpentibus Satana, Antichriſto, & eius ſequacibus, per totum terrarum orbem diſſeminat. Vt verè iam dici poſsit, quod Paulus ſuæ ætati conuenire docuit. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Verſ. 7. ¶ *Dicentẽ voce magna. Timete Deum & date gloriam illi. &c.*

CLARA & ſonora voce perſonat Angelus. Non Antichriſtum aut eius tyrannidem, ſed Deum ſolum eſſe timendum. Honorem verò non idolis Satanæ artificio erectis, ſed Deo ſoli tribuendum eſſe. Pleriq; enim ſub Antichriſti tyrannide ad impias ſuperſtitiones a vero Dei cultu deſiſcunt, hos monet vox Euangelij, vt ſoli Deo debitum timorem & obſequium præſtent.

" *QVIA venit hora iuditij eius &c.* Quia diſcuſsis tenebris, &
" reſtituta luce, & omnis impietas damnata eſt, & breui adueniet tempus, quo Deus vniuerſum genus humanũ, ad tribunal Chriſti citabit, vt accipiãt ſinguli prout geſſerũt in corporibus. Nõ iam igitur diſsimulandi tẽpus, aut locus eſt, ſed monet nos ipſa iuditij diuini ꝓpinquitas, omnẽ gloriã & honorẽ ei ſoli eſſe debitum, qui omnia nutu ſuo creauit, & ad vſum noſtrum creaturas ſuas deſtinauit,

non

non ſolum mare & terram, in quibus admirabilis illius potentia eminet, ſed fontes etiam dulcium aquarum, in quibus bonitas eius ſingularis elluceat. Docemur hîc, quæ ſit veri & æterni Euangelij vox, vt eam à fictitijs, & commẽtitijs, euangelijs deſtinguamus, nempe quæ docet Deum ſolum eſſe timendum, illi gloriam tribuendam, illum inquam, ſolum creatorem omnium eſſe adorandum.

¶ Et alius angelus ſecutus eſt dicens: cecidit cecidit Babylon. &c. Vers. 8.

EVANGELIO per totum orbem promulgato, & eccleſia Chriſti in vera fide Euangelij ſtabilita, ſequitur caſus regni Babylonici. Nec enim ſtare poterit Babylonis imperium, cum ſemel exortus ſit vindex eccleſiæ Chriſtus qui ſuos Iſraelitas è miſerrima ſeruitute in libertatẽ aſſeret & ab exilio in patriam cœleſtem Hieroſolymã reuocabit. Per Babylonis igitur caſum vno omnium ferè, veterum & recentiorum conſenſu, intelligimus Romanæ tyrannidis ruinam. Quod enim Iudęis erat Babylon Orientalis, idẽ eſt Roma quæ eſt Babylon occidentalis Chriſtianis. Et vt Deus veteris illius Babylonis crudelitatem certis quibuſdam limitibus circumſcripſit: ita etiam Romanæ tyrannidi quãtumuis æternam fore iactitent, finem præſtituit dominus. Alludit autem his verbis ſpiritus ſanctus, ad ea quæ de Babylonis interitu apud Eſaiam & Ieremiam reperiuntur. Geminatio verbi cecidit cecidit, certitudinem eius ruinæ indicat, quamlibet ſuper petram ſe ædificatam falſò iactitet, ruet tamen procul dubio, & quamuis magna & illuſtris ciuitas habeatur, redigetur tamen in ſolitudinem.

QVIA *EX vino furoris ſcortationis eius. &c.* Cauſa additur, quia ad ſummum vſque peruenerunt ſcelera eius, quia impia & blaſphema doctrina, omnes gentes ad Idololatriã ſeduxit, vocat autẽ vinũ furoris, vel quia iram dei prouocat, vel quia in rabiem & furorẽ agat inebriatos

 impios,

impios, vt in Idola, id est, fœdissima scorta, tanquam oestro perciti insaniant. Misit enim Deus iusto suo iudicio, in eos, efficatiam erroris. Et scimus quam auidè mundus ingurgitauit se Antichristi doctrina, quæ nihil aliud est quã vinum illud furiosum scortationis spiritualis, quæ est cultus idolorum.

¶ *Et tertius Angelus secutus est. &c.*

vers. 9. 10 PATEFACTA tandem impietate, & reuelato Antichristo, deterrendi sunt fideles ab eius impijs dogmatibus, ne se in seruitutẽ trahi patiantur, ab eo cuius horribilem casum & ruinam, post paulo sequuturam spiritus sanctus prędixit. Magna igitur voce clamat angel⁹, quia multi hominum delicijs Babylonicis indulgentes, obsurdescunt ad euangelij vocem, & vix magnis tandem clamoribus excitantur, vt ab Antichristi sordibus resipiscant. Denunciat igitur angelus (qui fidos euangelij præcones designat) horrẽda & æterna supplicia omnibus illis qui seruitutem Antichristo quacunque ratione profiteri velint.

" *Si quis adorauerit Bestiam, aut eius imaginem. &c.* Ne quis
" per hypocrisim subterfugiat iudicium Dei, quasi non ex animo sed ore tenus & externa cęremonia, Antichristũ colat, omnes species nefarij illius cultus qui exhibetur bestiæ enumerat: siue igitur ipsum Antichristũ, siue eius auctoritatem quisquam agnoscat, siue externo aliquo symbolo se ei subditum profiteatur, eum perpetuis gehennę tormentis deuotum iri affirmat.

" *Et ipse bibet ex vino iræ Dei ex mero infuso in poculum iræ Dei. &c.* Obseruandum quam vehementibus figuris horrẽ-
" dam Dei vltionem exprimat. Primò enim vocat vinum iræ Dei, quod si parum videtur addit, merum esse, quod nulla lenitate aut clementia mitigatur, postremò infusum esse in poculum iræ Dei, ita modis omnibus qualitatẽ & quantitatem diuinæ vltionis in Idololatras & Antichristi mancipia exaggerat.

" *Et torquebitur igne & sulphure. &c.* Effectus iræ diuinæ ex-
" primitur, quod grauissimis tormentis eos afficiet, quos

igne

igne & sulphure cõburet in perpetuum, coram sanctis angelis, & coram agno, vt in eorum conspectu plectantur, quorum consortium & salubria monita dum viuerent aspernati essent. Quæ pars etiam tormentorum est non leuissima, quod ostentui exponantur coram eis, quos ipsi dum affluerent delicijs, habuerunt ludibrio.

Vers. 11.

¶ *Et fumus. &c.*

PERGIT in amplificanda reproborum infelicitate. Nãne vlla temporis diuturnitate, finienda esse eorum tormenta sibi blandiantur, indicat, fumum qui ex eorũ comburentibus corporibus & animabus, exsurgit, ascensurum esse in æternum, quo spes omnis liberationis tollitur.

ET non habent requiem. &c. Multorum calamitates interposita aliqua consolatiuncula respirandi tempus concedunt, at horum miseriæ, neque interdiu neque noctu, vllum omnino relaxamentum sentient. Tam grauis est ira Dei in eos qui vel Antichristo se subijciunt, vel eius seruitutẽ externa aliqua nota profiteantur. Mirum est quod Pseudonicodemitæ, & cæteri qui in papatu manent, vt non toti perhorrescant, si huius iudicij grauitatem, vel æquis saltem animis expendant.

Vers. 12.

¶ *Hic est patientia. &c.*

DVRVM hoc nimis carni videtur, quod qui se ad tempus Antichristo metu crudelitatis permittunt, ęternis cruciatibus exponendi sunt. Sed occurrit angelus, docens hîc locum esse patientię sanctorum, quæ rebus aduersis, vt aurum igni probari debeat. Hîc distingui veros Dei cultores ab hypocritis, tum enim cernitur obedientia piorum, cum nec minis nec promissis, à Dei obsequio dimoueri possunt. Hîc denique locum esse fidei, cum fideles in vnum Deum intenti, non solum omnes mundi lautitias quasi syrenas, fugiant, verum etiam grauissima, quæ à tyrannis eis infliguntur tormenta, fortiter perpetiunter, potius quam ab eius syncero cultu ad profanas idololatriæ superstitiones dilabi velint.

Vers. 13. *¶ Et audiui vocem è cœlo dicentem. &c.*

QVEMADMODVM horrēda supplicia Antichristi cultoribus interminatus est angelus, ita fidelium mentes opportuit aliqua consolatione erigi, vt persecutiones aduersus eos ab Antichristo motas, æquioribus animis sustinuere valeant. Audit igitur Ioannes vocem spiritus sancti è cœlo personantem, & æternā felicitatem omnibus quotquot Domini causa mortem oppetunt, promittentē. Sed operæ pretium est exp ēdere circūstantias huius loci. Vox hæc è cœlo auditur, vt clarius & illustrius sit testimonium, & cui attentius auscultare debeamus, quod raram & insolitam consolationis materiā adferat. Deinde iubetur scribere quasi eximium quoddam præ reliquis oraculum, iussus est enim initio scribere quæcunque audiret, aut videret, quod quidem mandatum hīc repetitum, indicat excellentem hanc esse vocem, quæ nunquā debeat animis nostris excidere. Nec contentus beatitudinem defunctis animabus promittere, nisi eam iureiurando & vehemēti affirmatione asserat, & quis sit qui hanc eis felicitatem polliceatur indicet, nimirum spiritus ille veritatis, qui neminem fallit. Postremò rationes addit, cur illos beatos pronunciat. Primum quia à laboribus & ærumnis, quibus hæc vita obnoxia est erepti sint, deinde quod amplissimā mercedem bonis eorum operibus ex gratuita Dei misericordia constitutam suscipiant. Non est igitur quod eorū morte doleamus, quæ vt finem affert præsentium malorum, ita principiū est æternæ felicitatis. Et quāquam hic præcipuè agat de martyribus, qui cæsi sint ob testimonium Christi, non dubium est tamen, quin ad omnium piorum exitus, referenda sunt, quæ de ipsorum post mortem beatitudine hīc concionatur spiritus. Valeat igitur ignis purgatorius papæ, in quo non requiescunt animæ à laboribus, sed infernalibus pœnis (si eis credimus) castigantur: vt quas non sua ipsorum opera comitantur, sed aliorum merita longo post interuallo sequuntur. Quæ plane doctrina est dæmoniorū ad conscientiarum carnificinam extruendam confi-

cta non

cta, non ſpiritus ſancti ad ſanctorum cõſolationẽ ædita.

¶ *Et vidi & ecce nubes candida. &c.*

POSTQVAM eccleſiæ conditionem qualis futura ſit ad mundi vſque finem deſcripſiſset, nunc vltimam impiorum internecionem, per extremum Dei iuditium tandem venturam præmonſtrat. Idque duabus figuris oſtenditur, altera meſsis, altera vindemiæ. Vtraq; eodem ſenſu reperitur apud prophetas maximè Eſaiam capite. 17. &. 63. Videt igitur Ioannes, nubem candidam & angelum quẽdam ſpecie hamana nubi inſidentem. Nubes eſt Iuditij prænuncia, quia in nubibus cœli vẽturus eſt Dominus. Angelus hic humana forma iudutus, Chriſtum repræſentat, vel ſaltem miniſter eſt iuditij eius. Aurea corona redimitus eſt, vt regiam illi auctoritarem à Deo commiſſam intelligamus. Acuta falx quam manu præfert, iuditij eius eius ſeueritatem exprimit, quam nemo impiorum effugiet, cui non magis reſiſtere valent omnes reproborum conatus, quam ſegetes maturæ meſſoris falci. *Vers. 14.*

¶ *Et alius angelus egreſſus eſt è templo. &c.*

PARATVM eſſe iuditium Chriſti, prior angeli figura nubi candidæ inſidentis oſtendit, hæc autem alterius angeli, è templo, prodeuntis tempus adeſſe docet, quo Deus vindictam ſumet de reprobis. Exit è templo, id eſt, ab ipſius Dei præſentia, arcanum eius conſilium patefaciens. Nam vt reges in palatijs, ita Deus metaphoricè in templo habitare dicitur, admonet igitur angelum falciferum, qui Dei nutum in dies ſingulos expectabat, iam tandẽ veniſſe diem illum, quo omni impietate profligata, gloria Dei fulgeat in ſolidum, & pœnas luant qui eã hactenus illuſtrare contemſerunt. Si cui abſurdum videtur, admoneri Chriſtum ab angelo, ſciendum eſt hæc recondita myſteria per figuras oſtendi, quatenus noſter intellectus ea capere poterit, quum & Chriſtus ipſe quatenus homo erat, à ſe ipſo diem iuditij abſconditum fuiſſe fatetur. Hic etiam non Chriſtus ipſe, ſed angelus Chriſti iuditium repræſentans introducitur. *Vers. 15.*

¶ Et

Vers. 16. ¶ *Et misit qui sedebat super nubem. &c.*

NVLLA mora, simul ac intelligit, maturum diuinæ seueritatis exercendæ tempus aduenisse, missa in terrã falce acutissima, omnem terræ messem dicto citius demetit.

Vers. 17. *Et alius angelus exiuit è templo quod est in cœlo. &c.*

QVÆRI potest quid opus esset duplici figura, cum prior illa de segete demessa sufficeret. Ad hoc respondere possumus, priore figura generalem omnium tam piorum quam reproborum mutationem, quæ futura est in die nouissimo exprimi, posteriore vero reproborum tantum interitum describi. Nam & Christus ipse finem mundi messi comparat, angelos messoribus, sed quoniam in messe nõ solum sunt zizania, sed etiam triticum quod à Zizanijs repurgatum, in horreum sit reponendũ, hîc verò propositũ est spiritus sancti impietatis ruinam præcipuè complecti, quare omissa messe, per vndemię figuram, horrendũ sceleratorum exitũ spectãdum nobis proponit. Egreditur itáque è templo cœlesti angelus alius à priore, qui nubi insidens generale omniũ iuditium exercebat, gerens & ipse acutam falcem, qua paratus est vindictã Dei in reprobos, quando ipsi Deo visum est stringere. Exit autem è templo cœlesti, vtpote qui ab ipsius Dei ore mandatum quod exequi paratus est acceperit.

Et alius angelus egressus est ab altari. &c.

Vers. 18. DVM armatus dei vltione prior ille è templo egressus, expectat solum nutum domini, quo tempore partes sibi commissas, adimplere debeat, ecce ab ipso altari cœlesti, alius angelus prodit, Dei mandatum deferens, aduenisse iam tempus vindemiæ, iam enim maturos esse racemos vinęę impietatis, quos illico amputari Dominus præceperit. Hæc hactenus satis aperta sunt. Sed cur ab altari dicitur egredi? Alludit meo iudicio ad formam veteris templi, in cuius intimo penetrali erat altare aureum, suprà quod erat arca fœderis, & supra arcam Cherubim, inter quos habitauit typicè & sacramentaliter Dominus significat

significat ergo ab arcano Dei cõsilio tandem patefaciẽdo profectum esse mandatũ hoc de reprobis è medio tollẽdis Auferent inquit Christus omnia scandala, è regno Dei, & eos qui iniquitatẽ operantur Math. 13. Sed longè obscurius est, quod angelum hunc habere potestatem in ignem prædicat. Alij igitur Christum interpretantur qui venit ignem mittere in terras. Alij igneũ affectũ exponunt, quo flagrant angeli ad perdẽdos impios. Ego verò, cum Paulus ad Ephesios primo & ad Colossenses etiã primo angelos quosdam vocet ἐξουσίας id est potestates, simpliciter intelligo, designari angelum illum qui ignis elemento ex Dei dispensatione præsit. Quemadmodum posteà audimus angelum aquarum Capite 16. Deus enim creaturarum mundi conseruationem, angelis disposuit, quod fæpe in scriptuis testatum inuenimus. Hîc igitur angelus, igni præfectus, mittitur vt significetur, quo genere interit Dominus mũdi formam mutare statuit, quod nemini obscurum est. Cæterum hoc loco discamus, maturum pœnas de reprobis sumendi tempus, non nostro arbitrio, sed secretissimo Dei iudicio discernendum esse: quod nos non præfigere, sed patienter expectare decet.

¶ *Et misit angelus falcem &c.* *Vers. 19.*

EQVITVR iam decreti diuini executio in reprobos, in quo hoc obseruandum est, quod primo amputantur racemi, hoc est omnibus ornamentis & viribus quibus superbiebant, spoliantur impij, ac deinde nudi tanquam vuæ marcidæ, in maximum iræ diuinæ lacum conculcandæ proiiciuntur.

¶ *Et calcatus est lacus &c.* *Vers. 20.*

VTcunq; sequiat ira Dei in reprobos, non peruenient eorũ supplicia ad electos, nam extra ciuitatẽ sanctam, & Hierusalẽ cœlestẽ, calcatur lacus in quo impij torquentur, quorum sanguis è lacu exudat ad frænos vsque equorum, idque per maximum terræ spatium. Indicans quam horrendam, & inauditam sceleratorum stragem æditurus

sit

sit Deus, cum debitum supplicij tempus aduenerit. Quod ad stadiorum numerum attinet, faciunt ducenta miliaria, quæ ferè maxima erat longitudo terræ Canaan, totum orbem repræsentantis præter Ierusalem, id est ecclesiam.

Caput decimum quintum.

CVM PRÆCEDENTI CAPITE EXcreuerit de impijs supplicia sumenda esse in nouissimo Dei iudicio prædixisset: dubitare poteramus, an ad illud vsque tempus securi triumphare deberent nec vllis interim Dei seruis castigarentur. Docet igitur spiritus sanctus, hoc capite & sequenti, quemadmodum vltima eos perditio in extremo Dei iudicio maneret, ita etiam interea varijs & grauissimis pœnis, eorum scelera vlciscereturDominus.

¶ *Et vidi aliud signum in cœlo magnum & admirabile, &c.*

Vers. 1. CVM mundo nihil procliuius sit, quam immissas à deo plagas fortunæ, aut alijs secundis causis ascribere: Indicat Ioannes aliud quoddam signum magnum & admirabile sibi fuisse ostensum, quo hominũ mentes ferro diuini inditij metu percelli opportet. Nempe angelos septẽ Dei vindictam è cœlo portantes in terram. Non igitur cæco fortunæ impetu, sed certo Dei consilio, varia supplicio rum genera in reprobos & Antichristi præsertim corpus, cœlitus immituntur. Dicit autem septem plagas, quod nõ

vna

vna calamitatis ſpecie, ſed diuerſis, nec paucis, ſed plurimis (quemadmodum ſeptenarius numerus vniuerſitatem deſignat) plagis à Deo propter varia, & plurima eorum ſcelera, feriendi ſunt impij. Deinde nouiſſimas vocat, quia in eis ira Dei conſummetur, id eſt, totam ſe profundat in eorum perniciem, qui nullis caſtigationibus admoniti, ad ſaniorem mentem reduci vellent. Quin potius, quo pluribus à Deo pœnis caſtigarentur, eò magis aduerſus omnes calamitates obdureſcerent.

¶ *Et vidi quaſi mare vitreum mixtum igne.* *Verſ. 2.*

NVNQVAM molitur Deus ſupplicia aduerſus reprobos, quin ſuis prius proſpiciat, ne in exitium cũ impijs trahantur. Quod hac figura pulchrè deſcribitur, nã priuſquam angeli ſeptẽ phialas furoris dei plenas in terrã effundunt, ad terrendos impios & magnę vrbis incolas, videt Ioannes ſanctos dei cultores, qui ſe ab Antichriſti turpiſsimą ſeruitute liberos ſeruaſſent, primum in tuto collocatos, ne vlla ſeptem plagarum particula eos attingeret. Videt igitur mare vitreum, igne mixtum, id eſt magnitudinem periculorum & moleſtiarum quibus obnoxij ſunt pij in hoc mundo, quę tanta eſt, vt pelago, conferri poſsit, ob immẽſam molẽ, & tam duris perſecutionibus acerba, vt tota igni ardere videatur, & tamen vitrea duritie, vt iactari quidẽ ſed non mergi poſsint in ea fideles. Eos enim qui in certamine omnium difficillimo cum Beſtia ſuſcepto, i. Antichriſto eiuſque vniuerſa impietate, dei beneficio ſuperiores euaſerint: aſpicit Ioannes ſtantes alacriter apud mare illud vitreum, tanquam à naufragio, aut ſubmerſione liberatos, deóq; liberatori toto cordis affectu Epinicio canentes. Obſeruemus hîc certandum nobis eſſe cũ Antichriſto, ſi victorum præmijs ornari cupimus. Deinde quòd toties repetantur Beſtia, imago eius, character eius, & numerus nominis eius: nihil nobis eſſe debere cõmercij, cũ Antichriſto, aut vlla eius nefariæ ſuperſtitionis particula. Sed certandum nobis eſſe non ſolum contra ipſum Beſtiã, id eſt papam, ſed etiam contra imaginem eius, id eſt leges

& de-

& decreta ipsius quibus impia illius auctoritas & superbia fundata ac stabilita fuit, contrà characterem eius, id est, ceremonias ab eo excogitatas, ad captiuas ducendum animas in fœdissimam eius seruitutem. Denique contrà numerũ nominis eius nobis pugnandũ est, vt quidquid nomine illius cẽseri possit, pari odio quo ipsũ prosequamur.

„ *HABENTES cytharas Dei.c.* Significat hac meta-
„ phora spiritus sanctus, pijs à Deo qui eos infinitis be-
„ neficijs nunquam cumulare desinit, materiã lætitiæ quotidie submini strari, vt quamuis mundi oculis omniũ miserrimi videantur, ipsi se tamen felices sentiant, adeo vt læti & alacres, hymnos Deo ad cytharã canãt. Docemur hìc ineptos nos esse ad Dei gloriam celebrandam, nisi ipse nobis cytharas accommodet, quarum suauissimo cõcentu adiuti, cœlestia & diuina carmina modulemur.

¶ *Et canunt canticum Mosis serui Dei.&c.*

Vers.3. QVIA non leuius beneficium agnoscunt, se liberatos esse ab ignei maris, id est periculosis huius sæculi fluctibus, quam quod olim Deus Israelitas per mare rubrum incolumes duxit: Canunt deo liberatori nobile illud carmen, quod Moses dei seruus primarius, populo Israelitico dictauit, sicut legimus Exodi. 15. Cantemus Domino gloriosè enim triumphauit, & quæ sequũtur. Discamus hinc non minoris æstimare Dei virtutem & misericordiam, in sanctis ab impijs huius mundi pollutionibus alijsque infinitis periculis protegendis, quam in in antiquis illis & admirandis operibus, quibus veteres patriarchas ab imminẽtibus malis eripuit. Quorum exempla ideo proponuntur, vt talem fore Deũ speremus in nostris rebus afflictis, qualem credimus extitisse patribus, & vt nos ipsos pietate & gratitudine tales præstemus, quales se prębuisse sanctos illos homines ob accepta beneficia legimus.

„ *ET canticum agni.&c.* Cum habeant fideles Christum &
„ auctorẽ & mediatorem suæ redemtionis vnicum, non Mosis solum canticum, sed ab ipso etiam agno dictatam cantionem suauissimam concelebrant. Quod enim Mo-

ses

ſes erat Iſraelitis, id Chriſtus & multo etiam maius, & illuſtrius eſt eccleſiæ ſuę.

MAGNA & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens. &c. Hoc eſt carmen illud magnificum, ab agno dictatum eccleſiæ, id eſt, ex doctrina Chriſti ſeruatoris petitum, quod omnem laudem, gloriam, & honorē, vni deo omnipotenti aſſerit. A quo igitur dictatos credemus pleroſque hymnos papiſticos, qui non ad Dei creatoris, ſed ad creaturarum gloriam celebrandam ſunt compacti, cuius generis ſunt illa, Salue regina, Aue maris ſtella, Salue crux triumphalis, Salue mater Anna, & alia eius farinæ plurima, horrendis etiam blaſphemijs referta: non hæc carmina dictauit agnus, ſed bellua illa monſtroſa, qnæ nihil habet agno ſimile niſi duo cornua. Hîc etiam habemus chriſtianam imaginem, veri cultus in eccleſia Dei, nempe vbi ſolius Dei laudibus omnia perſonant: contrà ſynagogam eſſe Satanæ, vbi vllius præter veri & vnius Dei gloria celebratur. Porrò quod magna & admiranda agnoſcunt Dei opera fideles, docent nos quomodo æſtimāda ſunt eius beneficia. Diabolus enim ſtudet omnibus modis eorum dignitatem eleuare, ideo ſuggerit nobis parua eſſe, & vulgaria, quę deus indies vel in protegendis pijs, vel in impijs coercendis opera exercet. Cum interim niſi prorſus cæcutimus in ipſo meridie, & omni recto iudicio priuati ſumus, magna ſunt & admirabilia. Magna, quia a nemine mortaliū, aut vlla creatura, talia ædi poſſunt. Mirabilia, quia præter ſpem & opinionē hominum, imo Satana & vniuerſis ſatellitibus eius reluctantibus, ſuum conſequuntur effectum.

DOMINE Deus omnipotens. &c. Solus Deus quia poteſt omnia, verè magna & admiranda opera perficit. Quoties difficilis nobis videtur rerum noſtrarum exitus, ad ſummū Dei imperium & potentiā, (nam omnia eius arbitrio parent,) oculos conuertamus. Et quod nobis arduum, aut impoſsibile videtur, ipſius conſilio permittamus.

„ IVST Æ & verè sunt viæ tuæ, &c. Non solum magna &
„ admiranda sunt opera Dei, sed iusta etiam & vera sunt,
quæcunque gerit. Nam si quorumlibet scelera plagis castigat, summo id iure facit, iudex totius orbis, nec insontes vnquam punit pro nocentibus. Si vero benignũ & clementem se suis præstet, facit pro infinita sua misericordia quam in eos se effusurum promisit, qui eum serio pietatis affectu colant. Nec quicquã eorum quæ pollicitus sit ecclesiæ intercidet, donec eam tandẽ perpetua felicitate ornauerit. Quod regem sanctorum Deum appellant, ostendunt se illius solius imperium agnoscere, cuius regno quã diu subditi sint, non metuẽdum sit illis, ab vlla Satanæ aut impiorum tyrannide. Postremò docemur qui sint honorifico sanctorum nomine digni, nimirum qui Deum regem agnoscunt, & vt subditos decet, eius saluberimis legibus & sanctissimis decretis obtemperant.

¶ *Quis non timebit. &c.*

Vers. 4 REM omnium maximè absurdam sentiunt, quod scelerati omni Dei timore vacui, gloriam nominis illius contemnant. Nam cum tam magna & mirabilia sint opera illius, tantæque potentiæ, vt nulla vis ei valeat resistere, cum iusta sint iudicia eius, vt nemo impiorum debitas sceleribus suis pœnas effugere possit, quis non timebit eum nisi nullo prorsus sensu præditus? Cum tantæ sit benignitatis & clementiæ erga timentes eum, vt eos omnibus beneficijs quotidie ornet, quis non gloriam nominis illius celebrare studebit, nisi omni virtutis ac humanitatis vmbra vacuus?

„ NAM *solus sanctus es, &c.* Hinc ratiocinantur omnem
„ timorem & honorem Deo soli esse debitum, quod
„ is solus sanctus sit. Cætera omnia nisi quibus ipse sanctitatem communicet, impia sunt & profana. Annon hîc agnoscimus vnum ex blasphemis Antichristi nominibus, quod se sanctissimũ appellari patitur, cũ solus Deus sanctus sit. Nec id satis, nisi sibi etiam hanc dignitatẽ vendicaret,

dicaret, vt ab eo penderet totius ecclesiæ sanctitas, vt creaturis quibus ipsi libitum est nouam sanctitatem infundat, vt denique mortuorum sanctorum canonizationem vt vocant, ad se solum pertinere clamitet: Quorsum hæc? nisi vt hanc Deo, prærogatiuam sanctitatis eripiat, & ad se maximo sacrilegio transferat.

QVONIAM *omnes gentes venient & adorabũt coram. &c.* Significant frustra reniti & reluctari impios, quia velint nolint tandem eius imperium agnoscent.

QVONIAM *iudicia tua patefacta sunt. &c.* Dum latent Dei iudicia, aliquo modo ferendum videtur, si non timent eius iudicium cuius seueritatem ignorant, sed cum patefacta sint mũdo iudicia Dei, & indies clarissimã eorũ exempla ob oculos obuersentur, arguit plusquam lapideã reproborum duritiam, quod nullis Dei ferulis emolliti, nullis experimẽtis edocti, eum timere discant, vt debitam sanctissimo nomini eius gloriam exhibeant.

¶ *Et post hæc vidi & ecce apertum est templum. &c.* Vers. 5.

POSTQVAM ecclesiam Christi, ab his plagis quæ ad reprobos coercendos destinatæ essent, immunem statuisset, redit iam ad priorem narrationem, quo pacto processerint Angeli habentes septem illas plagas nouissimas. Apertum est (inquit) templum tabernaculi testamenti in cœlo, qua figura docemur, non temerè aut fortuito, sed ex certo & definito Dei consilio, horrendas plagas in orbe terrarũ exorituras fuisse, hæc enim iudicia ex intimo penetrali diuinæ voluntatis prodeunt. Alludit enim ad veteris tabernaculi formã, è cuius adyto interiore, responsa dabantur petentibus.

¶ *Et exierunt septem Angeli. &c.* Vers. 6.

PROCEDVNT à Dei voluntate, omnes ministri iustitiæ & seueritatis eius, lineis induti vestibus, puris & candidis, vt synceritatem & æquitatem iuditij illius significent. Nunquam enim sæuit ira Dei, aduersus innoxios,

xios, sed in sceleratos omnis pietatis contemtores accensa est. Præterea accincti sunt aureis Zonis, vt quam pròti sint ad ministerium sibi commissum sedulò exequendum indicent. Talis sedulitas quæ per zonam figuratur, tanto in precio est apud Deum, vt beatos illos spiritus plus quam aurum, aut gemmæ exornet. Imitanda est hęc diligentia principibus & magistratibus, quibus Deus gladium in manus tradidit, vt promti sint vindictam exercere in impios legis diuinæ transgressores, non vt in vagina rubiginem contrahat, & pij interim improborum numero & iniurijs opprimantur.

¶ *Et vnum ex quatuor animalibus. &c.*

Vers.7 ANIMALIA prius expoſuimus ex collatione Ezechielis, Cherubicos angelos, qui creaturis mundi præsint. Sensus est igitur Dei creaturas, ad vsum & seruitutem hominum creatas, subministrare flagella ad pœnas de reprobis sumendas, contra quos, omnes vel contemtissimę mundi creaturæ sunt armatæ. Vasa hæc certam mensuram continent iudiciorum Dei, quæ ipsius consilio visa sunt singulis vicibus effundenda. Aurea sunt, id est, preciosa, quia Dei gloriam in iustitia eius illustrant. Postremò plena dicuntur iræ Dei viuentis in æternum, cuius ira in reprobos implacabilis est & æterna, non mortalis alicuius furor, qui si non sedetur dum viuit, morte tamen eius terminatur. Longè alia est paterna Dei castigatio, qua filios suos ad tempus erudit, contra quos non diu multumve sæuit ira illius quin statim, vt resipiscunt, redit cum eis in gratiam, & propitius illis efficitur.

¶ *Et impletum est templum fumo. &c.*

Vers.8. DESCRIBITVR quanta sit Dei maiestas & potentia, cum eam exerere decreuit, & quod nullo modo patet ad eum accessus, quamdiu furor eius excandescit, contra sceleratos. Non quod sæuit instar hominis iracundi, qui in malos accensus, bonos etiam, obuios

plectit

plectit absque ratione aut discrimine, sed quia cum iusti iudicis personam induit, nulla peccatrix caro ante eum stare poterit, clementiæ & misericordiæ voce nos ad se tremebundos vocat.

Caput decimum sextum.

STENDIT HOC CAPITE QVIbus plagis & flagellis percussurus esset dominus Antichristi regnum ante vltimum eius excidium, ne semper securè sibi in suis delicijs placentes, piorum calamitates irrideant.

¶ *Et audiui vocem magnam è templo dicentem septem angelis. &c.* *Vers.* 1.

STABANT præcincti septem angeli, commissas sibi furoris diuini phialas tenentes, non tamen eas effundere audent, donec cœlesti oraculo admoniti, maturum ei negotio tempus instare agnoscant. Auditur igitur vox Dei omnipotentis è templo sanctitatis suæ intonantis, quæ iubeat angelos phialas iræ diuinæ plenas, in terram, quam primũ effundere. Discamus hic dei vocem in omnibus expectare, priusquam quicquam aggrediamur. Precamur assiduò fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Ecce hic exemplum angelicæ obedientiæ, ad cuius normã nostram obedientiã formare debemus. Euocantur primum angeli è templo, sistunt se illico, sollicitè expectantes quid illis imperaturus sit Dominus. Dantur in manus singulis phialæ, id est, potestas exercendi iudicia Dei aduersus Anchristianam impietatem, quod licet cupiant quam primum præstare, tempus tamen à Deo definitum morantur. Porrò hic etiam obseruare conuenit, vim vocis istius, effundite, quod non stillatim tanquam rorem aut pluuiam dimittere, sed totas

simul phialas effundere & exinanire inbeãtur, vnde nõ vulgares, sed raras & inauditas plagas in reprobos conijciẽdas esse intelligimus.

¶ Et abijt primus & effudit phialam suam in terram. &c.

Vers. 2. SEPTEM plagę, vt supra etiam annotauimus, significant omnes in vniuersum calamitates, quas Deus immissurus est in regnũ Antichristi, priusquã ipsum peccati hominẽ, Christus spiritu oris sui interficiet. Ex hijs autem, quædam sunt vsitata Deĩ flagella, quibus mundum ob scelera solet affligere: nempe pestis, bellum, fames, morbi contagiosi, & acuti, quæ quatuor primis phialis effusis significantur. Quædam verò ad ipsam Antichristi tyrannidem debellandam, peculiariter sunt destinatæ, quæ tribus reliquis describuntur. Quod ad priores attinet, quoniam Antichristi tyrannis, Ægyptiacæ seruituti merito comparari potest, conformes plagis Ægyptiorum pœnas, allegoricè spiritus sanctus denũciat. Hæc enim ciuitas, spiritualiter vocatur Ægyptus, vt suprà legimuus capite. 11. Primus igitur angelus effundit phialam suam in terram, & sequutum est vlcus sæuum super homines, qui seruitutem bestiæ professi essent, aut eius auctoritatem agnoscunt. Et refert hæc calamitas, sextam plagam, qua Deus per Mosen rebelles Ægyptios percussit, sicut legimus Exodi nono. Significat hæc plaga pestem, scabiem, & Neapolitanum imprimus morbum, quo præcipuè laborant Pontifices, Cardinales, Episcopi & tota fex cleri papistici, quorum impietatem varijs & inusitatis morborum generibus, Deus quotidiè vlciscitur. Quoties autem grassata est pestis Romæ, in Italia, Hispania, Gallia, & per totam nonnunquam Europam, quam latè patet Papę tyrannis, historiæ testantur, vt nunquam alibi tam grauiter, vel ante Christum, vel post reuelatum Euangelium, laboratum esse legimus, atque in medio papatu. Nam obijciẽt forsitam papistę, epidemiam non se solum, sed nostras etiam regiones ac vrbes corripere: fatemur id ob scelera nostra contingere: sed hîc de rara & inusitata, supplicij magnitudine agitur, quæ palam cernitur

nitur in regnum Antichristi effusa, cum nostros paternis tantum castigationibus Deus clementer affligat.

¶ *Et secundus angelus effudit phialam suam in mare. &c.* Vers. 3.

NON vno genere supplicij vt diximus, sed varijs & sæpe repetitis plagis, Dominus eorum superbiam contundet. Refert autem figura hæc primam Ægypti plagã Exodi. 7. cum aquæ omnes in sanguinem verterentur. Hîc etiam aquæ marinę in tabidum cruorem mutantur, significat (opinor) bellis, seditionibus, tam ciuilibus, quam externis, maximam hominum stragem fore ædendam, adeò vt mare ipsum sanguineum colorem contraheret. Est autem hyperbolica amplificatio, quales in scriptura plurimæ reperiuntur, ad exprimendum supplicij huius grauitatem, qua deus in reprobos animaduersurus est. Tota ferè Europa, mari circundata est, quod cum in sanguinem vertendũ dicitur, significat omnia bellis, tumultibus, ac cruentis prę-lijs redundatura. Hîc etiam testes sunt historiæ, & quotidiana etiam experientia docet, quantas clades, dederit Romanorum pontificum superbia, dum principes ad se mutuò grauissimis prælijs conficiendos committit. Quorum debilitatis viribus, ille ad suæ tyrrannidis confirmationẽ abutitur. Quis numeret quot hominum millia, neci dederit? dum Cæsares alios ab imperio deijcit, alios substituit, plebem à fide principibus data absoluit, Turcas & Sarracenos contra fœdera inuadit, crucem & Hierosolymorum vrbem reposcit, & simultates inter reges quotidiè serit. Iam autẽ ob oculos, quas tragœdias in Germania, Gallia, Scotia, Hispania exitauit? à quibus nec prorsus immunis, est Anglia nostra. Verum, vtcunq; suas res agit, Deus interea calamitatem in caput eius conuertit, & mare cruentum, ex cæsis papistarum cadaueribus efficit. Quod omnem animam viuentem in mari mortuam dicit, conueniens est allegoriæ hyperbole, simul etiam alludit ad pisces Ægyptiorum interfectos, cum aquæ in sanguinem mutarẽtur. Verũ ex his quę diximus, obscurum non est quid intelligat.

Vers. 4. ¶ *Et tertius angelus effudit phialam suam super fluuios aquarum. &c.*

VT nihil restaret impijs purum & salutare, prius terra & mare, nunc fluuij, & fontes, ac posteà sol ipse, varijs plagis percutiuntur. Hæc etiam calamitas, refert primam illam Ægypti plagam, qua aquæ fluminis Nili, & omnes in vniuersum lacus, & fontes recentiũ aquarum, in tabidũ sanguinem conuersi essent. Quod verò duabus phialis effusis, aquæ in sanguinem mutantur, mihi ad amplificationẽ stragis in impios ædendæ, referendum videtur, quod & angeli duo posteà fatentur: vt quoniam in explebilis est sitis sanguinis, in regno Antichristi, ideo lege talionis omnia apud eos in cædem & sanguinem commutentur.

Vers. 5. ¶ *Et audiui angelum aquarum dicentem. &c.*

DE angelo aquarum, idem sentio, quod ante de angelo qui habebat potestatem in ignem. Esse nimirum εξουσιαρ quandam, cui Deus regimen aquarum commiserit. Hoc enim nomine Paulus Apostolus ordinem quẽdam Angelorum appellat, ad Ephesios primo & ad Collossenses etiam primo. Congruè autem hic introducitur angelus aquarum, agnoscens merito hanc illis pœnam accidisse, vt sanguinem pro aqua biberent, qui tanto crudelitatis ardore sanguinem sitierunt. Licet enim præpositus sit angelus iste aquis, vt eas ab interitu & corruptione conseruaret, quod tamen in sanguinem versę corrumperentur, fatetur id iustò Dei iudicio eis in pœnam horrendæ in pios crudelitatis euenisse.

„ *IVSTVS es Domine, qui es & qui eras sanctus. &c.* Iustissi-
„ ma Dei iudicia celebrat, qui iudicis incorrupti partes agit. Et qualem se in hac plaga immittenda ostendit, talis ab exordio mundi omnibus sæculis extitit. Quod licet carnis sensu minus interdum perspiciatur, cum tamen angelica sapientia tandem præditi erimus, omnia eius iudicia, pulcherrima æquitate constare intelligemus.

Vers. 6. ¶ *Quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt. &c.*

Non

NON cedet impunè Antichristo eius sęuitia, quam in sanctos Dei martyres quotidiè exercet, sed qui nunquã satur est bibendo sanguinem Iustorum, versis in sanguinẽ aquis tandem cruorem ad satietatem hauriet. Est enim lex talionis æquissima, vt qui nihil nisi sanctorum & prophetarum sanguinem ipirant, bellis sanguinolentis, & cruentis cædibus, ad fastidium vsque saturentur.

¶ *Et audiui alium ex altari dicentem. &c.*

CVM prius animas interfectorum propter Christum, sub altari collocasset, capite sexto, vindictam à sui persecutoribus expetentes: assentior illis, qui hanc vocem ab altari profectam, ad eas referunt, iam tandem agnoscentes, verum esse quod illis dictum erat, vt si paulisper quiescerent dum absolueretur numerus fratrum suorum, qui similiter ab euangelij testimonium occidendi essent, Deus statim in reprobos grauiter animaduersurus esset. *Vers.* 7.

ET IAM Domine Deus omnipotẽs vera & iusta iudicia. &c. ,,

Primum subscribit hæc vox Angelo Aquarum, qui iure ,,
aquas in sanguinẽ conuersas dixerat, vt sanguinarijs hominibus darentur in potum, deinde omnipotentiam, veritatem, & iustitiam Dei celebrat. Deus enim potentiam suam exeruit, cum ad debellãdos superbos tantis cladibus eos affecit. Veritatem suam commendauit, cum quæ sæpe interminatus est impijs supplicia, tandem in eos immisit. Iustitiam verò demonstrauit, cum non solum debitas sceleribus eorum pœnas infligit, verum etiam iustissima talionis lege, conueniens flagitijs eorum tormenti genus excogitauit: vt qui cruentis at thyistæis dapibus, tantopere delectarentur, proprium sanguinem mutuò sibi propinarent, dum in suam ipsorum perniciem, bellis intestinis, cædibus & tumultibus, quotidiè sæuirent, vera igitur & iusta sunt iudicia eius.

¶ *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem. &c.*

NIHIL vult deus illis integrum remanere, qui nullis ad eum colendum beneficijs flecti possunt. Quam gratum & amabile sit lumen solis, omnes satis nouimus, quam sa- *Vers.* 8.

lutaris ſit eius ſyderis influxus, agnoſcunt eruditi, quam neceſſarius ſit eius vſus mortalibus, docti pariter & indocti omnes fatentur. Verum reprobis Antichriſti miniſtris, qui vnicum iuſtitiæ ſolem ſuis figmentis obſcurarunt, & ſanguinarijs decretis è mundo tollere tentarunt, efficiet Deus natiuum, & genialem ſolis calorem, peſtiferum & lætalem, adeo, vt omnia adurendo, ipſos etiam homines intollerabili æſtu torquendo, famem, ſitim, & qui ex hijs oriuntur morbos peſtilentiſsimos inducat. Denique quàm latè patet ſolis virtus, omnia immoderato æſtu feruebunt. Quis neget maxima fame laboratum eſſe in papiſmo? adeo vt multi etiam inedia perierint. Deinde ex impuro victu, quæ febres, tabes, peſtes, quæ ipſos etiam interdum pontifices corriperent, quis neſcit, qui hiſtoriam temporum à Bonifacio tertio in quo cæpit papatus ad noſtra hęc tempora deductam legerit?

Verſ. 9. *¶ Et æſtuauerunt homines æſtu magno. &c.*

SIGNIFICAT nō vulgari modo ſolis ardore fuiſſe perustos, vt in calidis regionibus, ſed longè grauiore candētis ſyderis æſtu accenſos: vt pœnè in rabiem ob tormenta verterentur. Sed quid tandem profecerunt his caſtigationibus impij? Blaſphemijs affecerunt nomen Dei, non ſuis ſceleribus, ſed Dei iniuſtitiæ has plagas aſcribentes. Italis, etiam Pontificibus ſummis, quam familiare ſit, ſacroſanctum Dei nomen horrendis blaſphemijs proſcindere, norunt qui mores & vrbes eorum inſpexerunt, etiam ob leuiſsima damna. Quo putas igitur furore in Deum tanquam rabidos canes latrare? cum grauia hæc ſupplicia eos apprehenderint. Deinde quæ eſt communis omnibus papiſtis blaſphemia, quod ſacrum Chriſti Euangelium, quod deus nouiſsimis his diebus, pro infinita ſua clementia, nobis patefacere dignatus eſt, turpiſsimis conuitijs lacerant, & eius promulgationi omnia quibus afficiuntur mala attribuunt.

„ „ *QVI HABET poteſtatem in plagas has. &c.* Amplificat

cat ſcelus eorum, quod ipſum qui poteſtatem habet has plagas, vel augendi vel mitigandi, rectâ contumelijs ſuis impetant, nec metuunt, ne horrendis eorum blaſphemijs irritatus, grauiora in eos ſupplicia decernat. Hîc reproborum ingenium obſeruare conuenit, qui nullis Dei ferulis ſubacti cedunt, ſed quo pluribus à Deo flagellis caſtigentur, eò obſtinatius & proteruius contrà eum inſurgunt.

NEQVE pœnitentiam egerunt, vt darent ei gloriam, &c. ,,
Docemur hîc quem expectet fructum Deus, ex ,,
caſtigatione noſtra, nimirum vt pœnitentiam ſcelerum noſtrorum agamus, & Deo qui nos merito caſtigauit gloriam aſcribamus, confitentes, nos meruiſſe flagitijs noſtris, vt etiam grauius in nos animaduerteret, vt iuſtitiam tum cum punit, clementia temperatam fuiſſe agnoſcamus. Hoc non faciunt impij, ſed queruntur ſemper de ſeueritate Dei, cum milleſima pars ſceleris eorum, non temporales has afflictiones, ſed æterna ſupplicia mereatur.

¶ *Et quintus angelus effudit phialam ſuam in thronum Beſtiæ, &c.* Verſ. 10.

HACTENVS licet grauiſsimis plagis Deus vltus ſit Antichriſti membrorum impietatem, vix tamen ad ipſum caput, mala peruenerunt. Nam in bello, fame, & peſte vulgus potius, quam præſules, & magnates affliguntur. Nunc igitur in ipſum belluæ caput, & præcipua eius mẽbra, Dominus animaduertere incipit, cum in thronum Beſtiæ quintus angelus phialam furoris diuini effundit. Quod factum eſſe interpretor, cum de Romanæ ſedis poteſtate, per Euangelij præcones primũ orta eſt controuerſia, qua tandem per ſcripturæ auctoritatem diſcuſſa, Antichriſtiana Beſtiæ ſuperbia & arrogantia mundo manifeſtata eſt. Tunc enim factum eſt regnum illius tenebroſum. Et gloria illa regni papiſtici, qua ſe ſupra omnes eccleſias, imò ſupra ſcripturas inſana ſuperbia extulerat, prorſus in toto mundo obſcurata eſt, adeo vt paſsim Romani põtificis auctori-

ctoritati, homines plurimi renunciant, principes eius potestatem è regnis suis exigant, vulgus de hinc, etiam papistarum, eius bullas & indulgentias contemnat, anathemata irrideat, leges & sanctiones securè violet.

Et momorderunt linguas præ dolore. &c. Ægerrimè ferunt hûc contemtum suæ dignitatis Romanenses, sed qua se pristinæ gloriæ & auctoritati restituant non inueniunt. Faci
» unt quidem sedulo vt nihil omittant, si quomodo amissam dignitatem recuperent, sed deplorata res est, itáque desperabundi præ nimio mentis angore, suas ipsorum linguas instar furiosorum præmordent. Significat hac metaphora spiritus sanctus, nihil potuisse molestius illis accidere, quam vt solium & regnum bestiæ, densa ignominiæ & cõtemtus caligine obtenebraretur.

¶ Et blasphemia affecerunt Deum cœli præ doloribus eorum. &c.

Vers. 11. TANTO (inquit) dolore vndique oppressi sunt, propter detectas eorum fraudes, errores, superbiam, & ignominiosam vitam, vt Deum ipsum cœli, horrendis blasphemijs prouocent scelerati terrę incolæ. *Præ vlceribus eorum. &c.* Putria & saniosa vlcera, leuissimum contactum non patiuntur. Cũ vero iam non leuiter modo tangantur, sed ferro etiam & cauterijs incidantur, haud mirum est, si in furiosam rabiem, miseri agantur. Sed pœnitentiæ interim nulla eis cura, quæ sola medicina est vlcerosis vulneribus. Quanquam enim opera eorum qualia sint, omnibus perspecta habeantur, nihilo tamen secius, solitis flagitijs, auaritiæ, crudelitati, libidini, indulgẽt. Docet præterea hic locus, verã pœnitentiã esse, ab operibus prauis abstinere. Nam si millies nobis displicere impietatẽ dixerimus, nisi fructus pœnitẽtia dignos feramus, nihil aliud quam hypocritæ sumus. Hîc etiam cernimus ingenium reproborum, qui quo propiores sunt extremo exitio, eò procacius Dei maiestatem aspernantur.

¶ Et sextus angelus effudit phialam suam super magnum flumen Euphratem. &c.

POSTQVAM obscuratum est Antichristi regnum, vt nihil in toto orbe caliginosius sit papatu: sextus iam Angelus, in magnum Euphratis fluuium, sextam furoris diuini phialam effundit. Ciuitas Romana in hac prophecia, allegoricè, sub Babylonis typo depingitur, fluuius autem Euphrates, Babyloni veteri maximo erat propugnaculo, adeo vt cum Cyrus eam vrbem expugnare voluisset, non potuit alia ratione, quam vt deriuato Euphratis alueo, & verso in aliam partem aquarum decursu, ipsum flumen, peruium & vadosũ efficeret: atque hinc sibi ingressum apperuit in munitissimam vrbem Ad quam sanè historiam, alludit hîc spiritus sanctus, cum siccatas dicit Euphratis aquas, vt sterneretur via regibus orientalibus ad vrbem occupandam. Significat igitur iusto Dei iuditio, omnia Romani imperij propugnacula destruẽda esse, vt omni præsidio nudati Romanenses præda sint hostibus eos inuasuris. Quod siue per Turcam, & alios oriẽtales tyrannos, siue per Europæ principes, qui Euãgeliũ amplexati sint, & ipsam Babylonẽ occupaturi sunt, nihil certi definire possum, at euẽtus aliquando certissimè ostendet. Spoliatam verò omnibus pœne viribus quibus olim instructa erat, esse Babylonem occidentalem (quod est exsiccari Euphratis aquas) nemo est qui non videat, vt facilis iam sit eius expugnatio futura hijs, quibus Deus hoc negotium aliquando committet. *Vers.* 12.

ET VIDI EX ore Draconis & ex ore bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ tres spiritus immundos similes ranis procedere. &c.

POSTQVAM sensit diabolus maximum instare periculũ regno suo, quod per manus Antichristi Romani pontificis gubernat, draco ille peruigil, excitat Bestiam .i. papam furijs conscientiæ agitatum, vt ex assensu & consilio Pseudoprophetæ bicornis bestiæ, id est, cleri Papistici, Cardinalium & Episcoporum, nuncij & legati à latere, ad omnes orbis principes, quotquot illius auctoritatem agnoscant emittãtur, vt eos instar furiarum infernalium, vocife- *Vers.* 13.

ciferationibus suis arment ad crudelitatem in pios Euangelij professores exercendam, per inquisitores hæreticæ prauitatis, alioſque scelerum magistros. Admonemur hîc vnum & idem esse propositũ Drachoni, Bestiæ, & Pseudoprophetæ, id est, diabolo, Papæ, & eius clero, vt cum tyrannidis suæ ruinam impendere sibi metuant ab Euangelio, eius cursum omnibus modis impedire satagant. Diaboli namq; auspicijs omnia gerũtur in papatu. Deinde legatos istos siue nuncios papæ, esse spiritus immundos, ranarũ seu bufonum similes. Quia quemadmodum spiritus immundi, eos in quibus habitant agunt in rabiem: ita isti principes & magnates ad quos mittuntur, furore accendunt, aduersus omnes pios, & semetipsos, vt in suam ipsorum perniciem sæuiant aduersus Christum & eius sacrosanctũ Euangelium. Dicuntur autem similes ranis, vel quod cœno & paludibus, id est, fœdis errorum lacunis delectẽtur, vel q absque vlla ratione semper coaxant & bullis erumpentibus vociferantur, donec reges ad conspirandũ contra deũ & sacram eius veritatem coegerint.

¶ Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, &c.

Vers. 14. CVM prius dixisset esse spiritus immundos, nunc repetit esse spiritus dæmoniorũ, id est ipsa diaboli membra & instrumẽta, vt sciant omnes consilium quod regibus inspirant, esse impium & diabolicum.

FACIENTES *signa, &c.* Præstigijs & fictis miraculis oculos impiorum perstringentes, ac si dei ministri essent cum sint Satanę mancipia. Sic enim mendaciis suis fucum faciunt principibus, vt visũ eorum ab Euangelij luce auertant. Nam nisi prorsus cæci essent, nunquam talibus rabulis aurem accommodarẽt: vt se ad nutum Antichristi, conscribi in prælium paterentur, quod aduersus ipsum Deum omnipotentem suscipitur.

AD *prælium diei illius magni Dei omnipotentis, &c.* Quo die memorabilis & nunquam antea audita clades, ædenda est in omnes superbos Dei contemtores, qui se aduersus

Do-

Dominum & Christum eius in aciem deduci paterentur. Quo etiam die, perpetua victoriæ laus, & triũphus æternus Christo parabitur, cum cæsis, fusis, & debellatis omnibus Antichristi copijs, summa virtutis eius gloria semper prædicabitur.

¶ *Ecce venio sicut fur. &c.*

FATEOR absque vllo prorsus contextu interseri hunc versum, sed non absque ratione. Nam cum in fine proximi versus, mentio facta esset de magno illo & tremẽdo die Dei omnipotentis, qui reprobos tanquã laqueus nec opinantes opprimeret: non incommodè inseritur hæc admonitio, vt discant pij semper excubias agere, ne magni illius diei memoria vnquam ex animis excidat. Ecce venio sicut fur, vox Christi est sicut legitur Math. 24. & Lucæ. 12. minitantis secundum ipsius aduentum, fore subitum & orbi inexpectatum, vt diluuium aquarum in diebus Noach, & ignis in diebus Lot. *Vers.* 15.

BEATVS *qui vigilat & seruat vestimenta sua. &c.* Quũ adeo incertus sit Domini aduentus, decet nos semper vigilias agere, nec vnquam in lecto securitatis dormire. Quod igitur faciunt qui excubias agũt, non exuunt se vestibus, quemadmodum illi qui cubitum eunt: id nobis in spiritualibus his vigilijs imitãdũ est, vt retineamus semper fidei & innocentiæ vestem, ne si lux magni illius diei, subito exorta omnes simulationis tenebras dispellat, nudi ambulemus, & deo pariter ac hominibus nuditatis nostræ turpitudo, sit conspicua. Hanc vestem Christus nobis donat, modo eam capere & accingere nobis diligenter velimus. *Vers.* 16.

¶ *Et congregauit eos in locum qui Hebraice dicitur Armageddon. &c.*

INTERRVPTO paulisper narrationis filo, ad vtilissimam admonitionem inserendam, redit ad propositum, nempe, diabolum vel Antichristum per emissarios illos legatos, congregare reges, & eorum exercitus, in locum eorum mactationi & stragi destinatum, cui nomen ab euẽtu memorabili

memorabili impositum sit Hebraice ARMAGEDDON. De cuius significatione non conuenit inter eruditos, alij enim exponunt *Charmageddon*, id est, deuotum exitio agmen, alij & rectius meo iuditio legunt hanc vocem Hebraicè *Gnarmagedgnon*, id est astutiam excidij, vt sensus sit, fraude dæmonum in eum locum adductos esse principes, vbi excidio perirent, quemadmodum explicatur fusius capite 19. vers. vltimo. Et scimus vsitatũ fuisse Hæbræis, ab huiusmodi euentibus nomina locis imponere, vt Kibroth Hataauah sepulchra concupiscentiæ. Num. 11. & Hamõ Gog, id est multitudo Gog Ezechielis. 39.

¶ *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem*

Vers. 17. VLTIMA hæc plaga omnium grauissima videtur, quod reliquæ partem tantum, hæc vero totum corpus Antichristi, extremo exitio percutiat. Iam enim Deus ipse propria virtute indutus, bestiam & eius ciuitatem Babylonem adorietur. Iam enim nec aerem habebit Antichristus, quem spirare possit, nisi in eius perniciem armatum.

„ *ET vox magna exiuit è templo. &c.* Ab ipsa Dei maiestate,
„ & certo eius consilio, processit hæc sententia, quę adeo rata est, vt nullo modo reuocari possit. Significat hæc vox vltimam Atichristi ruinam, iam impendere capiti eius quam nulla ratione evitare possit.

¶ *Et facta sunt voces & tonitrua & fulgura. &c.*

Vers. 18. HOC est omnia sursum & deorsum horrendis terroribus erũt agitanda, vt quorum ferrea pectora nullis præcedentium plagarum ictibus penetrari potuerunt, vt resipiscerent: iam tanto horrore concuterentur, vt planè exanimati conciderent. Porrò tumultus isti cœlestes, & præcipuè tetræ motus tam admirabiles, grauissimas & maximas in mundo mutationes portendunt, quarũ vt initia videmus, ita exitus erunt planè tragici et horribiles.

¶ *Et facta est ciuitas magna in tres partes & ciuitates gentium ceciderunt. &c.*

Vers. 19. IAM sequitur effectus huius terræ motus omnium maximi. Ciuitas illa magna, quæ est sedes Antichristi, id est vniuersa

uersa multitudo eorum, qui Romanæ superbiæ subditi erant, in tres partes vi huius terræ motus dissilijt, quod sic interpretantur plures & meo iudicio rectè. Qui olim vno consensu Bestiam adorauerunt, iam in tres abierunt sectas. Alij enim ex animo detestantur illius tyrannidem, alij manent in eadem seruitute, tertium hominum genus neutri parti adhæret. Sed in Epicureismum aut Atheismum incidit. Gentiũ ciuitates exponunt peregrinas & falsas omnes religiones, vt Turcarum, Iudæorum, Barbarorum, quas omnes certum est aduentu Christi vel paulò antea interituras, sed de his quæ non dum euenerunt sobriè diuinare nos decet.

ET Babylon magna venit in memoriam coram Deo. &c. Non quod illius vnquam obliuio Deum cæpisset, qui etiam plagas priores in eam immisserit. Sed iam totam simul irã eius in ipsam effundendam significat, vt funditus eam subuertat sicut docebitur cap. 18. apertius. De poculo vini furoris Dei diximus ante cap. 14. nisi quod hîc etiã ad maiorem emphasim additur aliud iræ synonimon, nec θυμου solum dicat, sed etiam ὀργῆς.

¶ Et omnis insula fugit & montes non sunt inuenti. &c.

TANTVS erit motus terræ, vt montes & insulas absorbeat. Quidam ad finem mundi hoc referunt, mihi omnem refugij locum sublatum significare videtur: solent enim homines in calamitatibus maximis, ad montes & insulas præsidij causa confugere. *Vers. 20.*

¶ Et grando magna. &c.

QVEMADMODVM Hierichuntinos Deus grandine oppressit è cœlo: ita etiam hostes suos Antichristiãos maximis è cœlo, & talentarijs lapidibus conteret, & contundet. Periphrasis sunt hęc omnia horrẽdi exitus, qui manet reprobos, quos nullis plagis emendari, aut ad pœnitentiam adduci posse docemur, quin semper Deum conuitijs afficiant, vt digni appareant quos Deus perpetua faciat iræ suę monimenta & æternis tormentis adiudicet. *Vers. 21.*

Caput decimum septimum.

ARIIS HACTENVS COLORIbus Antichristum ipsum depinxit, nunc eius ecclesiam seu adulterinam religionem, sub figura magnæ meretricis describit, deinde tam eius quam bestiæ quæ portat eã mysterium exponit, postremò vtriusque exitium prædicit.

¶ *Et venit vnus ex septem angelis qui habebant septem phialas & loquutus est mecum dicens. &c.*

Vers. 1. IDEM ipsi angeli, qui ministri sunt seueritatis diuinæ in reprobos, pijs ad consolationem & ædificationem ecclesiæ inseruiunt. Quod quidem nec inutile nec iniucũdum est cogitare, eos nos habere ad salutem nostram tuendam diuinitus constitutos, qui omnes aduersariorum machinas quoties Deo visum est, facile subuertere possint. Obseruemus etiam, quam familiariter Angeli Apostolum alloquũtur, quem propter Christi beneficium fratrem & conseruum agnoscunt.

VENI ostendam tibi damnationem magnæ meretricis. &c. Cũ aliquoties de magna ciuitate antea mentionem fecisset, nunc vt palam faceret spiritus sanctus, de qua ciuitate intellexisset, eam sub magnæ meretricis imagine describit. Meretrix enim magna (vt postea exponit) Angelus, ciuitatem magnam designat quemadmodũ aquę multæ quibus insidet, populos multos quibus imperat. Et meritò ecclesia, vel religio Romana, cuius tota auctoritas ab vrbe illa septicolli pendet, nobili & famoso scorto comparatur, quæ meretricijs fraudibus & impostoris, quasi lenocinijs, hominum animos, in fœdum sui amoremallicit. Tritum est enim in scripturis, omnes falsos & idololatricos cultus, turpissimis adulterijs conferre. Romana vero synagoga, quæ super omnes alias hæreses, falsas & adulterinas Dei adorationes excogitauit, maximæ meretricis nomen, quasi suo iure vendicat. Quæ tamen quantumuis sibi & amatoribus suis tanquam speciosa coniunx placet, nihilo minus iusto Dei iudicio perpetuo dedecori, quasi fœdissima

mere-

meretrix adiudicatur.

¶ *Cum qua fecerunt fornicationem reges terræ. &c.* *Vers.* 2.

NON minima pars hæc erat artis meretriciæ, quod reges & magnates fictis blanditijs, & lenocinijs, in scortationem pelliceret: hac enim via, plebem & subditos, suo amori deuotos, habituram se sperabat. Indulget igitur principibus omnium scelerum licentiam, cædes, adulteria, incestus, omnia condonando, modo in obedientia Romanæ sedis perstiterint.

ET inebriatæ sunt vino scortationis eius terræ incolæ. &c. Non regibus solum, sed omnibus in vniuersum terræ incolis se prostituit, impudentissima meretrix, & furioso scortationis suę vino, tam turpiter inebriatos reddit, vt instar suũ ad libidinem, cum ea explendam, incendantur. Atque hic est Zelus ille papistarum, quo insaniunt in missas, monachatum, peregrinationes, indulgentias, vt omnes facultates in eas profundere non curẽt, quia ratione libidine victa, inebriati sunt vino scortationis eius.

ET ABDVXIT me in desertum in spiritu. &c. *Vers.* 3.

CVM non dum meretricis istius manifestandæ in mundo, tempus adesset, quamuis iam tum mysterium operabatur, collocatur meretrix hęc in deserto, quæ aliquot post sęculis iusto Dei iudicio ad fascinandum impios terrę incolas, in orbem produceretur. Ad hanc igitur contemplandã, abducitur Ioannes ab Angelo in desertum.

ET vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam. &c. Cum in desertum venisset Ioannes, oblata est ei imago mulieris, Bestiæ coccineæ insidentis. Ex descriptione apparet eandem esse bestiam quæ capite decimo tertio, ad viuum depicta est. Innititur enim ecclesia, vel religio Romana, papæ auctoritati, & illius clero, qui illam tanquã iumenta supportant, & eius pulchritudinem laudibus supra cœlum extollunt. Depingitur etiam color bestiæ coccineus, quem sanè Romanæ curiæ supra alios omnes colores, pla-

cere nouimus hoc enim pontifex ipſe, hoc Cardinales & eorum equi, hoc etiam præſules, & Epiſcopi incedunt ornati. Quod non temerè factum arbitror, ſed vt huic figuræ reſponderent. Significat autem hic rubor, ſanguinarium eorum in veris Chriſti & eccleſiæ membris, ad necem vſque perſequendis ſtudium.

¶ *Plenam nominibus blaſphemiæ. &c.*

„ SI omnium ordinum appellationes, quæ ſunt in papatu
„ excutias, nihil aliud reperias, quam horrendas blaſphemias. Papæ & Pontificum ſanctitas, celſitudo, paternitas, & eius generis infinitæ blaſphemiæ, quibus ſordidi & indocti nebulones, ſupra Chriſtum & Angelos extolluntur.

6. „ *HABENS capita ſeptem & cornua decem. &c.* Hæc
„ illius inſignia, indicant eandem eſſe beſtiam, quam prius vidit capite. 13. cuius etiam myſticam interpretationem poſtea accipit.

¶ *ET MVLIER quam vidi induta erat purpura & coccino. &c.*

Verſ. 4. DVo continet hic verſus, ornatum meretricis, & eius impiam proſtitutionem. Quod ad ornatum ſpectat, purpura, coccino, auro, gemmis & margaritis tota fulget, vt ſpecioſa videatur amatoribus ſuis. Longè alius eſt ornatus veræ eccleſiæ, de quo legimus ſuprà duodecimo capite, quæ tota cœleſtibus ornamentis decorata eſt, hæc vero impura meretrix, ex rerum terreſtrium ſplendore, pulchritudinis laudem aucupatur. Videmus enim vt Romana eccleſia, & Papiſtica religio, in altaribus, pallijs, dalmaticis, mitris, crucibus, calicibus, libris, thuribulis, patinis, imaginibus decorandis, nihil aliud oſtentat quam pompam quandam maximarum diuitiarum, purpuræ, coccini, ſerici, argenti, auri, gemmarum, & margaritarum quibus religio Chriſtiana nullo modo indiget, Papiſtica vero ſine hijs ſtare non poteſt. Tolle enim à Papa, Pontificibus, templis, Sacerdotibus, theatricos illos purpuræ,

coc-

coccini, auri, & gemmarum apparatus, quibus oculi ſtupidæ multitudinis perſtringuntur, & nihil reperies in eccleſia Romana, quod quiſquā admirari aut colere velit. Vt enim meretrices, detracto precioſo cultu, deformes & putidæ conſpiciuntur: ita etiam papiſtica religio, ſi auferas ab ea tragicos iſtos ornatus, nuda prorſus & informis vel ipſis papiſtis videbitur. Quod ſanè argumēto eſt, ſpiritualē decorē, in ea eſſe omnino nullū, cū tota corporalibus ornamētis vndique conquiſitis dedita ſit.

ET habebat aureum poculum in manu ſua plenum abominationibus & immunditia ſcortationis eius. &c. Aſſentior illis, qui per aureum poculum intelligunt, externam Chriſtianæ religionis profeſsionem, & ſpeciem quandam veritatis dum verbo Dei ſe credere, & ſacramentis vti gloriatur, quę tamen omnia tam impuris dæmoniorum doctrinis conſpurcauit, vt ſub externa pietatis larua, nihil niſi deteſtandas abominationes, & immunditiā ſcortationis cōprehendat. Poculum igitur quod manu præfert, aureum eſt, ſed vinum quod in eo continetur, præſentiſsimum eſt venenum. Quod vero calicem harum turpitudinum manu ſua omnibus porrigit, & propinat, impudentia illius notatur, quod tam putida mendatia, & tam fœda errorum portenta, etiam cordatis hominibus obtrudere nō erubeſcat. Simul etiam indicat, non alios in tantam abominationum & turpitudinum perniciē abripi, niſi quos Circęo hoc poculo, adeo dementat, vt omnem ſani iudicij particulam amiſerint. Notanda eſt etiam emphaſis harum vocum βδελυγματα, id eſt, abominationes, & immunditia ſcortationis eius, quia ſuprà omnes alias gentes, hæc ſynagoga, libidinibus, ſcortationibus & adulteriis, tam ſpiritualibus quā carnalibus, ad miraculum vſque abundet.

¶ Et in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium Babylon magna. &c. Verſ. 5.

NE quemquam latere poſsit eius turpitudo, aut impudentia, niſi tanto eius amore flagret, vt prorſus cæcutiat: in fronte illa meretricia, gerit nomen palam ſcriptū,

quod eius qualitates ad viuũ exprimat. Nemo eſt enim qui vel micã veri intellect° poſsidet, quin in ipſa facie, atq; adeo in fronte purpurati ſcorti, nomen eius legere poſsit. Deus enim hanc ignominiæ notam ei inuſsit, vt facilè agnoſci poſsit, ab omnibus electis, ne in fœdiſsimos illius amplexus pelliciantur. Ex quo conſequitur, prorſus obcæcatos eſſe papiſtarum oculos, qui nomen hoc fronti meretricis ita impreſſum vt ipſum nullo artificio ocultare queat, intueri non poſſunt, quo tandem ab illius inhoneſta conſuetũdine reſipiſcant.

„ *MYSTERIVM, &c.* Quamuis in fronte ſcriptum
„ eſt, non tamen ab omnibus promiſcuè agnoſci poteſt, ſed ab his ſolũ, quibus datũ eſt myſteria intelligere. Eſt enim nomẽ hoc myſticum, quod ſub figura, veram & genuinam eius deſcriptionem complectitur.

„ *BABYLON magna. &c.* Hoc eſt illius nomen, mores e-
„ ius pulchrè exprimens. Non quod hæc propria ſit appellatio huius ciuitatis, vt papiſtæ conficto nuper mendacio, de puero quodam Babylone nato, quem Antichriſtum credi volebant, exponere ſolent, ſed vt prius dixit myſticũ & figuratum, cuius poſtea interpretationem adiunget, quæ omnino ſuperflua eſſet, ſi Babylon vrbem illam Chaldæorum ad literã ſignificaret. Sed quia ciuitas illa olim potẽtiſſima & ſuperbiſsima, primũ Deo rebellis fuiſſet, cum extrueretur turris illa, quam ſecuta eſt linguarũ cõfuſio, deinde tyrannidem in homines prima exercuerat, quæ cæpta à Nimrode, ad Nabuchadnezarum vſq; durauit, qui populum Iudaicum miſera ſeruitute captiuum duxit & detinuit, idcirco Romanæ ciuitatis tyrannis, idololatria, ſuperbia, impietas, ſub Babylonis figura deſignatur.

„ *MATER fœtentiarum & abhominationũ terræ. &c.* Om-
„ nis turpitudinis & impietatis ſentina, fuit Babylon orientalis, neq; id ſolum, ſed etiam magiſtra ſcelerum, imò mater & nutrix omnium malorum. Quæ omnia ad Romanam ſynagogam aptiſsimè referuntur: quæ quamlibet ſe eccleſiam catholicam & Apoſtolicam eſſe gloriatur,

matrem

matrem omnium fideliũ, vero tamen nomine, apellata est Babylon magna, mater omniũ scortationum & abhominationũ terræ: quod enim scelus, quæ impietas? immunditia, libido, eius patrocinio non fouebatur? vbi autem peiora omniũ flagitiorum exempla, quam Romæ? Quæ tantæ pestes & corruptelę, quam Papę, Cardinales, & præsules? Quorum præter blasphemos errores, & profanos Dei cõtemtus, vita etiam tantis exundauit flagitijs, vt Nerones, Domitianos, Elagabalos, superbia, cædibus, veneficijs, proditionibus, scortationibus, adulterijs, incestibus & præposteris libidinibus, sæpenumero superarent. Examinentur eorum vitæ, vt traduntur in historijs, ab ipsis papistis conscripttis & ex collatione fiat iuditium.

¶ Et vidi mulierem ebriam ex sanguine sanctorum. &c.

HAC TENVS eius superbia, luxus, turpitudo descripta sunt, hijs iam accedit tanta crudelitas, vt ebriam se vidisse asserat meretricem Ioannes, ex sanguine sanctorum & martyrum Iesu Christi, quem fusum à truculentissima bestia, illa quasi merum delicatissimum auidissimè hausit. Horrenda hæc est, & barbara crudelitas, quod sanguinem pro potu ingurgitet mulier alioqui petulans & lasciua: deinde quod ad temulentiam vsque sanguinem piorum in ventrem suum, omnis intemperantiæ barathrum infundat. Hic quid commemorem sanctorum Dei martyrum neces? incendia, patibula, quos Bestia Romana laniauit, vt siticulosæ meretrici non desit potus ad ebrietatem. Anglia nostra in vno quinquemno Marianæ persecutionis, quam miseram Christi seruorum stragem vidit? Et quid demum aliud sitit cruentissima meretrix? dum concitat ciuiles tumultus in Gallia, Flandria, Scotia, Britannia, quam sanguinem sanctorum Dei? Dum inquisitores in Hispania & Italia magnas quotidie martyrum cateruas tanquam oues ad lanienam trahunt, sedulò faciunt, ne Dominę suæ meretricis magnæ intemperantia deficiat. ,,

Vers. 6.

ET cum vidissem eam admiratus sum admiratione magna. &c. ,,

Cum tanta prius portenta vidisset Ioannes, aduersus ecclesiam Dei armata, minus admiratus est illa, quia ipsa formidabilis eorum forma & species, satis prodidit qualia essent: hic verò cum fœminam, tam splendido ornatu insignem, tantis lenocinijs, hominum animos ad se allicientē vidisset, & eandem sanctorum sanguine ebriam, vehementer admiratur, quæ nam esset de qua hactenus nihil accepisset.

¶ *Et dixit mihi angelus, quare miraris? ego dicam tibi mysterium &c.*

Vers. 7. CVM animaduertit angelus Ioannem tanta admiratione capi, aspectu meretricis, cuius mysterium ignorabat, familiariter eum compellat, quærens cur eam tantopere admiraretur? Nam ego (inquit) totum hoc mysterium quale sit tibi aperiam, tam mulieris istius quæ bestiæ coccineæ inequitat, quam ipsius bestiæ, quæ illam portet, quæ si bene menimisti eadem est quam ante septem capitibus & decem cornibus munitam vidisti. Debemus hic multum misericordiæ diuinę, quod nobis hoc mysterium reserare dignatus sit, vt ab huius impurissimi scorti fascinationibus nobis caueremus.

¶ *Bestia quam vidisti erat, & non est, & ascendet ex abysso & in interitum abitura est. &c.*

Vers. 8. BESTIA illa satis euidentibus notis Romanum imperium portendit, quod erat quidem sub Iulio, Augusto, Tiberio, & Claudio amplissimum, sed in Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Domitiano, multum à vetere illa maiestate defecerat, vt non iam Monatchia dici mereretur, sed ab inferis rursus excitanda erat, per papas & clerum papisticum, qui arrogant sibi imperium in totum orbem. Sed non perpetuò durabit eius tyrannis, quia tandem à Christo apprehensa præcipitabitur, in lacum igne sulphureo ardentem, vbi perpetuis flammis cruciabitur, vt postea docemur capite. 19.

¶ *ET admirabuntur incolæ terræ (quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à iactis mundi fundamentis) cum viderint Bestiā*

stiã quæ erat & non est, & tamẽ est &c. Quãlibet magnę futuræ sunt Antichristi imposturæ, non tamen valebunt ad seducendos in pernicium electos, sed ad eos tantum capiendos, qui non sunt ad vitam æternam prędestinati à iactis mundi fundamentis. Reprobi verò cum viderint resuscitatam nouam monarchiam Romani Pontificis, quę est Bestia quæ erat, sub primis Cæsaribus, sed non est, tum cum scribit Ioannes sub Domitiano (quãuis aliquo modo esset) eam reuerenter suspicient & quasi nouum Deum adorabunt filium perditionis, qui se extollit super omne Dei numen quod colitur. Nam mittet in illos Deus iusto suo iudicio, efficatiam erroris, vt credant mendacio qui veritati credere renuerunt. Cæterum hîc ad clariorem intelligentiam obseruemus, quod Bestia, id est, monarchia Romana dicitur fuisse, cum maximè floreret, ante Neronem, non esse cum debilitatæ essent vires eius, adeò vt tandem in nihilũ ferè redactæ essent, quæ erat eius conditio imperante Domitiano, cum hęc scriberet Ioannes, ex quo priſtinæ dignitati restituta est, sed defecit paulatim, donec prorsus extincta esset, quod multis retro sæculis factum esse nouimus. Particula καὶ πάρεσι, & tamen est, indicat eam non tum totam fuisse abolitam, quamuis impridem minui cœpta est eius potentia & dignitas. Postremò ascensus Bestiæ ille ex abysso, est Monarchia papæ, quæ creuit semper ex ruina Cæsarum, donec eis tandem omnino dejectis, omnem vtriusque gladij potentiam ad se raperet.

¶ Hic est mens quæ habet sapientiam &c.

PRÆFATVR angelus vt attentionem excitet hanc esse sapientissimam huius mysterij interpretationem, vt diligenter eam expendant fideles, ne incauti à bestiæ huius fraudibus & imposturis capiantur. *Vers. 9.*

SEPTEM capita montes septem sunt in quibus sedet mulier, &c. Cum posteà Vers. 18. per mulierem interpretetur angelus ciuitatẽ, manifestũ est hoc quod de muliere super septẽ montes sedente dicit, de ciuitate super totidem colles extructa intelligendũ esse. Iã quæ ciuitas in toto orbe sep-

tecollis est præter Romanam? quam super septem montes ædificatam Poëtæ, Historici, Topographi, vno consensu asserunt, quorũ nomina sunt, Capitolinus, Palatinus, Auẽtinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis & Quirinalis. Porrò non est hęc obscura Romanę vrbis circumloquutio, cum Virgilius etiam poëta, eadem periphrasi ipsam circũscribat in Georgicis, Septẽ quæ vna sibi muro circundedit arces. Quod autem per vrbẽ Romanam, ecclesiã vel religionem papisticam designet, pulchrè conuenit, nam tota eius præstantia, vel ipsis testibus, pendet ab auctoritate Romanæ vrbis, quæ est sedes papæ.

„ *Et reges septem sunt. &c.* Indicat ex numero capitũ, non v-
„ nam tantũ eius discernendi notam peti posse, sed varias, septẽ enim capita septẽ reges significãt. Et habuit quidẽ initio vrbs Romana reges numero septem, sed sequens versus ostendit de illis non intelligi q̃ dicit. Alij etiã septẽ electores imperij exponũt, q̃ mihi nõ videtur cõuenire. Quidã etiam numerãt Cęsares à Nerone, Galbã, Othonẽ, Vitellium, Vespasianũ, Titũ, Domitianum, Neruã, qui vltimus erat Romanorũ Cęsarũ, cum Traianus ex Hispania oriundus esset. Sed dum oĩa expẽdo nihil mihi probabilius videtur, quam vt capita septem, totidẽ Romanæ monarchiæ ordines designẽt, inuicẽ sibi succedẽtes, tot enĩ eius imperij capita fuerũt. Regnũ, Cõsulatus, Decẽuiratus, Dictatura, Triũuiratus, Cæsareatus, Papat⁹. *Quinq; ceciderũt, vnus est, & alius non dum venit.* Ex septem istis capitibus vel regijs potestatibus, quinq; ceciderunt. i. abolitæ sunt. Nempe Reges, Consules, Decẽuiri, Triumuiri Dictatores. Sextus. i. Cæsares iã rerum potiuntur, septimus hoc est Pontifex non dũ tyrannidem mutauit. *Et cum venerit oportet eum paululũ manere. &c.* Hoc ad piorum consolationẽ additur, vt sciant Romanum Antichristũ nõ semper sed exiguo tantũ tempore sæuiturũ in ecclesia, vt supra demonstratũ est capite. 11. 12. & 13.

¶ *Et bestia quæ erat & non est. &c.*

Vers. 10. ILLE animirum noua monarchia Romana, quæ ex abysso ascensura est, i. totũ Antichristi corpus, octauũ regnum constituet.

cõstituet. i. spiritu alẽ tyrannidẽ reliquis dessimilẽ exercebit, & tamẽ est ex numero septẽ capitũ, quia ciuilẽ etiã administrationẽ sibi arrogabit, & more Regũ, Dictatorũ, Cæsarum, cũ externæ pompæ splẽdore imperabit. Videmus hîc, vt geminam potestatẽ, vtramq; supremã, bellua sibi vsurpat, cum idem septimus & octauus regum numeretur.

ET in interitum abitura est. &c. Cum toties de eius interitu mẽtionẽ facit, admonet eũdẽ esse perditionis filiũ de quo paulus ad Thessalonicenses secunda epistola cap. 2. qui licet diabolica superbia inflatus, æternũ fore imperiũ suum iactitet, breui tamen in interitum abibit.

¶ *Et decem cornua quæ vidisti. &c.*

DECEM cornua, quemadmodum apud Danielem, decem reges significant, id est, omnes proconsules, & prouinciarum præsides, qui in Romano imperio, rempublicã administrarunt, non tamen regia potestate prædíti erant, quia Cæsari subseruiebant, & eius arbitrio, vel præficiebãtur, vel deponebantur. Hoc est quod dicit, non dum accepisse regnum, sed simul ac bestia ex abysso ascensura esset, vnà cum eo regiam potestatem susciperent. Papę namque Monarchia, ex Cæsarei imperij detrimentis creuit, & cum deficerent prouinciæ ab imperio, nouos sibi reges creantes exortus est Pontificatus papæ, qui eos in suam ditionem accepit, & sibi tributarios effecit. Deinde obseruãdum est, quod non dicit simpliciter regnum adepturos, sed potestatem quasi reges. Nam quamdiu, Romani Pontificis auctoritati subditi fuerunt, non erant verè reges, sed tantum potestatem quasi regiam, sub illo exercuerunt, quia ab illius nutu semper pendebant, quos etiam quoties ipsi dubitũ esset, è regno ejiceret alios; pro arbitrio substituerent. *Vers. 12.*

¶ *Isti vnum consilium habent. &c.*

HI reges vno & vnanimi cõsensu, tanquã serui potius quã reges, omnes vires & potentiã suã, bestiæ resignabũt. i. papę militabũt, tributa pendẽt, mandata eius exequẽtur, & quasi famuli dominũ eũ in omnib' agnoscẽt. Quis nescit hãc fuisse cõditionẽ regũ totius Europæ nõ ante multos annos? *Vers. 13.*

¶ *Hi*

¶ Hi cum agno pugnabunt. &c.

Vers. 13. HI tam seruiliter papæ famulabuntur, vt eos etiam in aciem educet, aduersus Christum, vt erumpentem euangelij lucem, omnibus modis coercere studeant, sed ipsi tamen succumbent victi ab agno. Qui licet in humili serui specie contemnatur à mundo, exitu tamen prælij, Dominũ se dominorum & regem regum, cui nullę mortalium vires resistere valeant, luculenter ostendet.

„ *ET qui cum illo sunt vocati, electi & fideles. &c.* Quos illi dã-
„ nant pro hæreticis, schismaticis & nefarijs hominibus,
„ sunt à Deo vocati, quia ab ipso electi, & constanter in fide eius persistunt, hi sub imperatoris vexillo pugnabunt aduersum tyrannos, & spirituali certamine superabunt. Cæterum de prælio hoc memorabili, & victoria Christi, paulo post audiemus capite. 19. in quo postquam Bestia omne suum virus effud erit, tandem apprehendetur & in stagnum sulphure ardens præcipitabitur.

Et dicit mihi, aquæ quas vidisti, vbi sedet meretrix, popu-
Vers. 15. *li, turbæ, gentes, & linguæ sunt. &c.*

DIXIT in principio huius capitis Angelus, sedere meretricem super aquas multas, nũc eas exponit, significare varios populos, magnas turbas, gentes & linguas diuersas. Latè enim dominabitur hæc meretrix per totam ferè Europam. Aque hic est vniuersalis ille consensus nationũ, populorum, linguarũ, de quo tantopere gloriantur papistę. Conspirant fateor, multæ gẽtes in amorẽ & delicias huius meretricis. Sed num ideo catholica putabitur ecclesia?

Vers. 16. *Et decem cornua quæ vidisti super bestiam. &c.*

DECEM illi reges qui aliquãdo bestiæ subditi erant, tandem ab Euangelio edocti, turpissimum eius iugum excutient. Et qui prius cum ecclesia Romana & fœdissima eius religione scortati sunt, postquã exorta euangelij luce, deformitatem eius clarè perspexerint, capitali odio eam prosequentur. Adeò vt quæ anteà tanta amatorum suorum caterua circũdata erat, ab omnibus deserta, & solitaria manebit, quo nihil meretrici tristius accidere potest. Re-

ge

ges namque & se ipsos & populos suæ ditionis, ab illius turpissima consuetudine subtrahent. Quin etiam opibus diuitijs, ornamentis, ædificijs, latifundijs, alijsque omnibus bonis eam spoliabunt & nudam foras eijcient.

ET carnes eius comedent & igni eam concremabunt. &c. Hoc est tanto illius fœditatis odio & detestatione accendentur, vt vel dentibus eam discepere vellent, & extremo exitio deuouebunt. Et ipsam vrbem Romanam omnium malorum sentinam ferro, & flammis, tandem aliquando vastabunt.

¶ Deus enim dedit in corda illorum. &c.

VT totum hoc negotium diuinitus gubernari sciamus, ostendit Dei consilio factum esse, vt reges isti ad tempus belluæ se accommodarent & regnum suum illius arbitrio permitterent. Nam vt iusto Dei iudicio, venit in mundũ Antichristus, ad seducẽdos in perniciem reprobos, Christi & Euangelij eius contemtores, ita omnia eius tyrannidis incrementa ab illius nutu pendebunt. Alioqui incredibile videtur reges tam seruiliter papæ iugo colla subiecisse, nisi Deus eorum mentes ob scelera occæcasset. Sed non perpetuam fore hanc subiectionem docet, verũ ad id solum tempus duraturum, quod Dei decreto statutum est. *Vers.* 17.

¶ Et mulier quam vidisti est ciuitas illa magna, quæ habet regnũ super reges terræ. & c.

CVM omnes ueteris ecclesiæ scriptores, quotquot hanc sententiam expenderunt, non aliam qnam Romanam ciuitatem intelligere potuerint, demiror qua fronte papistæ, eam expositionem repudiare audeant. Imò cum nemo aliam saltem verisimilem interpretationem adferre possit, quid amplius hæremus? Cui quæso obscurum est, Romanam ciuitatem tum cum scriberet Ioannes, habuisse imperium super mundi principes? Non potuit igitur clarius nomine dixisse Romam, quam hæc periphrasis designat. *Vers.* 18.

Caput

Caput decimum octauum.

OLLICITVS EST ANGELVS Ioanni, non solum mysterium, sed etiam dānationem magnæ meretricis se ostensurū, quod hoc capite diligenter exequitur, irrecuperabilem Babylonis ruinam describens.

¶ Et post hæc vidi angelum è cœlo descendentem. &c.

Vers. 1. SIGNIFICAT hic angelus, Euangelij prædicationem, quam Deus his nouissimis temporibus, è cœlo demisit, ad coarguendam magnæ meretricis impudentiam, & certissimum eius excidiū, quod nunquam reparandum esset, prędicendum. Magna potestate prædituſ est hic angelus, qui inmutabile Dei decretum, de excindenda Babylone perferat. Et videmus quanto zelo, libertate, auctoritate, omnia Romanæ ecclesiæ scelera, à fidis euangelij ministris coarguantur.

" *Et illuminata est terra à gloria ipsius. &c.* Vbi prius erant dēsissimæ tenebræ, quæ totum Antichristi regnum occupabant, glorioſa lux euangelij effulsit, quæ omnem errorum ac ignorantiæ caliginem ab oculis electorum dispulit.

¶ Et clamauit fortiter voce magna. &c.

Vers. 2. PERMAGNA est singularum vocum epitasis, quod non prædicauit, sed clamauit, idque fortitur & quanta potuit vocis contentione. Nam expergefieri opportet, hominum animos, ad Dei iudicia diligenter expendenda. Tanta videbatur olim Babylonis stabilitas, cum regum & magnatum viribus vndique suffulta esset, vt nunquam casui aut ruinæ obnoxia fore crederetur. Clamat igitur altissima voce angelus, cecidisse, cecidisse, Babylonē, quamlibet magnam, & suis propugnaculis fidentem. Nunquam igitur expectet Romana ecclesia ruinarum suarum instaurationē, cecidit, cecidit enim Babylon occidentalis, nec vnquam restituetur. Nam in Romanam synagogam competent ea, quæ de veteri Babylone prędicta sunt, ab Esaia. Cap. 13. & Hieremia cap. 51. Quod si quæ restabunt ædificiorum ruinę inter rudera, non ad spem restitutionis, sed ad maiorem horrorem

rorem relinquētur: nam in desertis ac desolatis illis tectis, habitabunt Zijm & Ohijm, id est, laruæ & lemures: nidificabunt struthiones, saltabunt satyri, vlulabunt noctuæ, sibilabunt serpentes, volutabunt dracones, & planè horrēda erit rerum omnium facies. Quam ijsdem pœne verbis ac eodem prorsus sensu expressit hic angelus, cum futuram dicit Babylonem habitaculum dæmonū, carcerem omniū immundorum spirituum, & caueam omnium obscænarū volucrum & odiosarum. Promulgato igitur Euangelio de Romanæ ecclesiæ subuersione, quicquid in ea restat, post euocatos Dei seruos, non alio numero habere debemus, quam pro diabolis, immundis spiritibus, & fœdis quibusdā volucribus, quæ in desolatis, huiusmodi locis habitare gaudent. Præterea imaginem desertæ Babylonis, in templis & monasterijs destructis, palam ob oculos cernere possimus. Quis vnquam credidisset tantas ædificiorum moles, tam speciosas structuras, tot opes ac diuitias, in tantā solitudinē fore redactas? Sed hoc prædixit vox angelica, non dubium igitur, quin exitus idē manet omnes Babylonis reliquias.

¶ *Quia ex vino furoris scortationis eius, biberunt omnes gentes. &c.* *Vers. 3.*

SI quis forte putet, nō meruisse tam graues pœnas Babylonem, vt nunquam reparando excidio, plecteretur, iustissimę sententiæ ratione reddit, quia veneficio suo, & Circæo poculo, omnium gentium populos ad Idololatriā seduxit, reges etiam terræ vniuersos, ad stuprum sollicitauit, & lenocinijs delinitos in adulterium spirituale pellexit, tā profusis denique delicijs & intemperantiæ indulgeret, vt ex luxu illius, ditati sint omnes negotiatores terræ. Quis adeò cæcus est, vt nō videat hæc omnia vitia in ecclesia Romana redundare? Vbi tanta luxuries? vbi auaritia tā in explebilis? vbi fraudes & impostura tantæ? vbi denique fœdior diuinæ religionis adulteratio, quam in papatu? Meritò igitur ruit ad exitium diuinitus ei constitutum.

¶ *Et audiui aliam vocem è cælo dicentem. &c.*

QVÆ-

Verſ. 4. QVÆRI poteſt quid opus eſſet alia voce, cum Angelus ille qui paulo ante è cœlo deſcenderat eadem pronunciare potuiſſet? Imo tanti momenti eſt, ſequens exhortatio, & tam diligenti attentione digna, vt noua voce cœlitus demiſſa, eam promulgari oportuerit. Et obſeruare licet, tam in hoc libro, quam in alijs vaticinijs, vt apud Eſaiam, capite quadrageſimo, quoties vox ſine auctore viſo dicitur audita, rē maximi pōderis, & quæ ſumma animaduerſione excipiēda eſt, deſignari. Qualis eſt grauiſsima hęc admonitio, vt diſcedant fideles à conſortio malignantis eccleſiæ, ne ſi illius ſcelerum participes fiant, illius etiam ſupplicijs inuoluantur. Et tria quidem requirit vox cœleſtis à pijs Dei cultoribus, quorum primum eſt, vt ab eius ſocietate quam longiſsimè recedant, alterum, vt debitam de ea vindictam ſumant, tertium verò, vt toto cordis affectu exultent, & nomen Dei celebrent propter eius ruinam irrecuperabilem. Cœterum quod ad primam admonitionē ſpectat, alludit ſpiritus ſanctus ad Ieremiæ exhortationē cap. 51. verſ. 45. qui eiſdem verbis populum Dei affatur, vt è medio Orientalis Babylonis diſcedant, ſi vitæ & incolumtiati ſuæ conſultū eſſe velint: Verum hîc cœleſtis vox non ſolum locum fugere, ſed peccata imprimis cauere iubet: ne ſi indulgeant ſibi in illius ſceleribus, futurum ſit vt illius etiam tormentis plectendi eſſent.

Quoniam ſecutæ ſunt eam peccata eius vſque ad cœlum. &c.

Verſ. 5. NON differendum iam tempus eſſe oſtendit, quia pœnas de ea grauiſsimas abſque mora Deus ſumturus ſit. Nam ad cœlum vſque aſcenderunt ſcelera eius, ſicut flagitia Sodomitarum, & iniuſtitia illius Deum ſuæ iuſtitiæ commone fecit, vt tam atroces iniurias diutius ferre non poſsit inultas. Admonemur hîc graues tranſgreſsiones & peccata magna, celerem è cœlo vindictam repoſcere. Deinde quam periculoſum ſit inire conſortium cum impijs, quorum flagitia Dei vltionem, in capita ipſorū detrahūt. Longè igitur fugiamus & vt monet Hieremias, extra ambitum iræ diuinæ, quæ vniuerſę Babylonis regioni impendet.

¶ *Reddite*

¶ *Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis. &c.*

PROXIMVM quod exigit à suis Deus, est vt post detectam meretricis turpitudinem, iustissimæ Dei vindictæ se ministros præbeant, in illa miseris modis excrucianda, reddite (inquit) illi sicut ipsa reddidit vobis, & psalmus. 137. beatos pronunciat, qui Babyloni eadem retribuent quæ in populum Dei crudeliter perpetrauit. Non est igitur parcendum ei, quin potius duplicanda vindicta, pro ratione scelerum ipsius, & crudelitas quam in sanctos Dei martyres exercuit, duplici pœna vindicanda est. Viderint igitur principes & magistratus, qui nimia lenitate non animaduertunt in illius scelera, quid Deo responsuri sint cum neclecti huius præcepti coarguentur. *Vers. 6.*

¶ *QVANTVM glorificauit seipsam & in delicijs vixit tantum date ei tormentum & luctum &c.*

ÆQVISSIMVM esse docet, vt quo maiori superbia & insolentia sese extulit, eo maiori ignominia afficiatur, & quanto magis luxui ac intēperantiæ vacauit, turpissima meretrix, tanto grauioribus tormentis, ac supplicijs, eius lasciuia compescatur. Nullus est igitur hîc locus misericordiæ, sed in æquali iustitiæ lance scelera eius ponderanda sunt cum supplicijs, & quicquid commerita est, ferre debet absque indulgentia. Non enim decet nos de alieno liberales esse. Deus æternus iudex, hanc tulit in eam sententiam, cuius acerbitatem mitigare, nemo mortalium potest. Prosequamur igitur Babylonem maximis vt debemus odijs, eius que extremum interitum ardentibus votis exoptemus, qua salua, nunquam florere potest ecclesia Christi, cuius nos felicitatem omnibus modis procurare debemus. *Vers. 7.*

QVIA dicit in corde suo sedeo regina & vidua non sum & luctum non videbo. &c. Arrogantiam, insolentiam, & securitatē eius depingit, quod diceret apud se, sedeo regina, hoc est omnibus impero, quasi domina mundi, & vidua non sum, tanta amatorum turba circumstipata, nullo solitudinis metu tāgor, Christi spōsa sum, ecclesia Catholica &

Apostolica, aduersus quam inferorum portę non præualebunt, ideóque luctus & doloris nunquam particeps ero. Talibus gloriatur procax mulierecula, sed abibunt hæc omnia in fumos, cum Deus sanguinem martyrum suorum, de illius manu reposcet.

¶ *Propter hoc in vna die venient plagæ hæ super illam, mors luctus, & fames, &c.*

Vers. 8. ALLVSIO est ad vaticinium Esaię de veteri Babylone cap 47. Significans Deum velle illius superbiam subitò retundere, luxum refrenare, securitatem excutere. Quia varijs & simul ingruentibus calamitatibus, morte, fame, luctu, opprimetur & tandem quasi extremo exitio deuota igni conflagrabit.

" QVONIAM fortis est Dominus Deus, qui iudicat eam. &c.
" Si quis præsentis illius fortunæ intuitu, fieri non posse putet, vt tantæ vires, diuitię, dignitates, in nihilum abeant: opponit illis omnibus, Dei fortitudinem, qui cum eam tali excidio adiudicauit, omnem altitudinem deijciet, robur franget, diuitias calcabit, vt suæ sententiæ locus sit aduersus eam.

¶ *Et lugebunt eam, & plangent se super illa reges terræ. &c.*

Vers. 9. VT horribilis Babylonis casus tanquam ob oculos ponatur, introducuntur lugẽtes eam reges, negotiatores, nautæ, & quotquot securam ac voluptuariam vitam, sub eius patrocinio vixerunt. Primo loco reges & magnates, qui voluptatibus & delicijs sub eius tutela indulgentes, ægrè ferunt se ad iustitiam & temperantiam colendam, Euangelij voce vocari, cum viderint fumum incendij illius, flebiliter & muliebriter casum eius deplorant.

¶ *Et longè stantes propter metum tormentorum eius. &c.*

Vers. 10. QVAMLIBET eam dilexerint, & optarent vt perpetuò maneret incolumis, tamen horrore tormentorũ ipsius, longè ab illa stabunt, & iustum Dei iuditium in il-

illam agnoscent, dicentes, heu ciuitas illa præclara, Babylon, potentissima ciuitas, quam citò, è tanto felicitatis fastigio, decidisti? Hoc nimirum est iudicium Dei, quia aduersus omnem vim humanam satis munita eras. Docemur hîc etiam tyrannos & hypocritas, Dei manum in exterminanda Babylone agnoscere, nec tamen ad deum conuerti, sed desperabundos, eius ruinam lugere ciuitatis, quã fatentur iusto Dei iuditio ob scelera subuersam.

¶ *Et negotiatores terræ plorant & lugent super illa. &c.* *Vers.* 11.

POST regum & principum querelas sequũtur iam mercatorum næniæ, qui ruinam Babylonis non tam ipsius amore, quam sui quæstus iactura, deplorant, quia nemo post hac merces eorum pretiosissimas post opulentissimæ vrbis interitum, mercari velit. Per istos autem negotiatores intelliguntur, non solũ institores, qui huiusmodi mercimonia, ad luxum & intemperantiam, Romanæ ecclesiæ prælatis diuendere solebant, sed ipsi etiam pontifices, prælati, sacerdotes, qui omnes ecclesiæ suæ cæremonias habuerunt venales, vnde sibi infinitas opes congesserũt. Postquam verò earum mercium inutilitas, per Euangelii prædicationem innotuerit, frigent eorum nũdinæ, & neminẽ tandem reperient, qui vel asse aut vitiosa nuce tales nugas redimere velit. Meritò igitur plorant, & lamentantur, quod spes tam dulcis lucri iam omnis ipsis ablata sit.

¶ *MERCES auri, & argenti, & lapidis pretiosi. &c.*

MIRVM est, quod querantur has merces non amplius fore venales, cum nunquam maiori in pretio habitæ fuerint, quam post casum Babylonis. Verum sensus est hæc omnia non amplius æstimari, vt erant merces Romanæ ecclesiæ, hoc est, in missis, in simulachris, in theatricis tẽplorum spectaculis, alijsque cæremonijs papisticis, alioqui, aurum, gemmæ, purpuræ, solito in pretio habentur. Verum calices, cruces, imagines, mitræ, ex auro, argento, gẽmis *Vers.* 12.

margaritis, solita reuerentia non coluntur, pallia, dalmaticæ, aliæque vestes tragicæ, ex byssо, serico, purpura, coccino contextę, contemtui habentur, nec oculos hominum vt olim, perstringunt. Reliqua templorum, monasteriorũ, idolorum, ornamenta, ac instrumenta, ex ebore, cedro, cupresso, ære, ferro, marmore, calcantur, spernuntur, confringuntur.

Vers. 13. ¶ *Cinnamomum, odoramenta, & vnguenta. &c.*

SVFFITVM exthure, cinnamomo, alijsque aromatibus quibus templa & idola redolebant, iam nemo expetit, Vnguẽtum ac oleum ad baptizandos, confirmandos, ordinandos, sepeliendos homines, nullus requirit. Vinum ad abluendas aras, cõmunicandos laicos, & sanandas gutturis infirmitates nemo ab eis petit. Similaceum eorum Deum, omnes contemnunt, triticum, boues, & oues, ad pigros eorum ventres saginandos, nemo comparat. Imo prolixè ẽsurire illis licet, nisi sibi ipsis prospiciant. Equos, rhedas, & mancipia, ad vsum pręsulum, siue necessarium, siue intemperantem, nec ipsi bonis omnibus spoliati coement, nec alij vt illis adulatorum more donẽt, mercabuntur. Deniq; hominum animas quæ merx vilissima est inter eos, quas tamen Christus sanguine suo acquisiuit, nemo ab illis redimet per indulgentias, missas, merita, & opera supererogationis. Hinc illę lachrimæ, hinc gemitus, & luctus papistarum, hinc fremitus aduersus Euangelij doctrinam, quæ si æqualem eis quęstum pareret, non admodum ægrè illam commutare vellent pro papistica. Porrò quod animas etiam hominum inter merces adnumeret, facilè intelligimus, de qua ecclesia verba faciat. Nulla enim alia hæresis, vnquam, animos proposuit vęnales præter papisticam. Quin & alia mercimonia omnia quæ locum habent in religione papali, satis arguũt eius conditionem.

¶ *ET FRVCTVS desyderij animæ tuæ, &c.*

EST

EST Apostrophe ad ipsam Babylonem, epitaseos causa, ac si diceret, non solum merces illæ preciosissimæ cessabũt esse in precio apud homines, sed suauissimi etiam fructus quos toto animo expetisti, abierunt à te, & omnia pinguia & præclara abierũt à te, nec vnquam amplius illa reperies. Nihil meretrici luxu perditæ, tristius aut luctuosius accidere potuit, quam omnes delitias & lautitias quibus indulsit tantopere, tã subitò ei excuti. Maximus est igitur hic cruciatus Babylonico scorto, quod quę paulo antea omniũ rerum copia qua ad intemperantiam abutebatur affluebat, vt cum Ægyptia regina Cleopatra luxu certare posset, iam nuda & deserta, omnium bonorum inopia premeretur. Vers. 14.

¶ *Mercatores horum qui ditati sunt. &c.*

QVIS eorum dolorem reprehendet, qui tam opimo quæstu, ex eius ruina priuati sunt? Nam qui ex eius affluentia ditati sunt, ex eius etiam casu ad inopiam & egestatem rediguntur. Quapropter clamant, vociferantur, vlulant, longè tamen ab illius incendio recedunt, ne cruciatuum illius participes fiant. Sed non effugient manũ Dei, qui eos tandem aliquando comprehendet. Describitur hic ingenium papistarum, qui licet vnicè diligant, matrem suã ecclesiam, ob delitias & lucrum, fugiunt tamen ab illius cruciatu, quantum possunt, eam abnegantes, abiurantes, & execrantes ore tenus, intus tamen dolent, casum eius deplorantes ac dicentes, heu, heu, ciuitas illa magna, quæ auro, gemmis, margaritis, byssо, purpura, coccino, pulcherimè vestita erat, quam citò tantæ opes, in desolationem redactę sunt. Si quis audiat monachos, sacerdotes, aut alios eius farinæ papistas, suorum monasteriorum aut templorum ruinas deplorantes: eisdem pœne vocibus suum dolorem testantur. Enumerãt opes, ornamenta, splendorem eorum, cum maxima luctus acerbitate, & sui imprimis commodi non obliuiscuntur, quod illis destructis, sibi ablatũ esse miserè conqueruntur. Sed miseri sunt, nulli miserabiles, quia cum staret Babylon incolumis, superbia, auaritia, libidine, crudelitate, & Idololatria totum terrarum orbem impleVers. 15.

nerunt. Meritò igitur pœnas dant tantorum scelerum, si omnium rerum egeni ambulent, & quæ alijs parauerunt tormenta, ipsi experiantur.

¶ *Et omnes gubernatores, & omnes in nauibus versantiũ turba, & nautæ & quotquot ex mari quæstum faciunt, stabunt longè. &c.*

Vers. 17. & 18. NON terræ solum innotuit Babylonis clades, sed tanta est, vt è mari etiam spectetur. Gubernatores igitur nauium, & omnis nautici populi turba, quæ totis classibus merces aduehere solebant, cum fumum incendij illius procul è pelago conspicient: agnoscent extremum eius aduenisse interitum, itaque præ dolore vociferabũtur, casum eius ingemiscentes, ac dicentes, quænã vrbs magnę hinc ciuitati similis erat, aut cùm illa cõferri meruit? ô clades miseranda, tantæ ac tam opulentæ ciuitatis.

¶ *Et puluerem capitibus suis iniecerunt. &c.*

Vers. 19. SIgnum hoc erat maximi luctus apud Hebræos, cũ cinerẽ aut puluerẽ capiti suo inijcerent. Exprimere voluit spiritus sanctus, mœstitiã eorum hac figura, qui in casu Babylonis suum etiam quæstum excidisse conqueruntur. Itaq; introducuntur nautę, clamantes, plorantes, lugentes, ob spẽ lucri ablatam, postquam Babylon ex cuius precijs ditati sunt, oẽs quotquot nauibus merces cõportabãt, in puluerẽ et cinerẽ redacta est. Et eo spectãt omniũ lugẽtiũ querelę vt horrenda Babylonici excidij clades ob oculos poneretur.

¶ *Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & prophetæ: quia iudicauit Deus iudicium vestrum de ea. &c.*

Vers. 20. DIXIMVS prius tria requirere spiritum sanctum, à fidelibus, in casu Babylonis, quorum hoc postremum est, vt lætitia exultent, ob illius cladem, & Deo gratias agant quod vltus sit illius impietatem, & præcipuè crudelitatem in sanctos. Hortatur itaque cœlum ipsum, id est, omnes cœlestes emphaticõs, & sanctos Christi Apostolos, & prophetas; hoc est, sacri eius Euangelij præcones, vt ob vindictam de Babylone sumtam exultent, lætentur, & triumphos agant. Quia licet ad tempus visus sit obliuisci Deus

suorum,

ſuorum, dum meretrix ſanguine piorum ebria, velut regina in ſolio ſederet: ac omnibus tormentorum generibus ſanctos dei martyres ſubijceret: nunc tandem pœnas ſumſit Deus, de illius impietate, ſanctorum vltionis cauſa. Meritò igitur exultare debent ſancti, quotquot vel illius crudelitatem deteſtantur, vel Dei iuſtitiã in illius iuſtis ſupplicijs agnoſcunt ac venerantur. Non enim eorum calamitatis miſericordia tangi debemus, quos Dei optimi maximi ſententia, iure damnatos fatemur.

¶ *Et ſuſtulit angelus quidam fortis lapidem quaſi molarem magnum & proiecit in mare. &c.*

IEREMIAS capite. 51. vbi de veteris Babylonis excidio vaticinatur, tali ſymbolo prophetiam obſignat. Imperat Sheraię pio cuidam principi, Babylonem profecturo, vt vaticinij illius libro, lapidem alligaret, eumque in medium Euphratem proijceret, dicendo, ad hunc modum ſubmergetur Babylon, nec reſurget à malo quod ſuper eam inducam. Quo procul dubio alludit ſpiritus ſanctus, in hac viſione, niſi q̃ in omĩbus circũſtãtijs maior eſt emphaſis. Hîc enim nõ homo, ſed angelus fortis cuius robur humanas vires longè ſuperat, attollit lapidẽ, non exiguum, ſed magnum & quaſi molarem, eumq; non in fluuium, ſed in mare proijcit, in hæc verba præfatus, tanto impetu deijcietur Babylon ciuitas illa magna nec vnquam amplius inſtaurabitur. Atque hoc adiectum eſt, ad piorum conſolationem perpetuam, vt ſecurè de eius interitu triumphare poſſent, quia omnis ſpes reſtituendi papiſmi funditus ſublata eſt. *Verſ. 21.*

¶ *Et vox citharœdorum & muſicorum, & tibicinum & tubicinum non audietur in te amplius. &c.*

VT perpetuam deſolationem Babyloni inductã doceat, enumerat ea omnia, quæ fortunatis & opulentis vrbibus ornamento aut vſui eſſe ſolent. Nuſquam (inquit) audietur vox canẽtiũ, aut inſtrumenta muſices tractantium, ita quęcũq; voluptati inſeruiunt omnia tollũtur. Nec vſquã *Verſ. 22.*

reperietur in ea, artifex alicuius artis: hoc modo quæcunq; ad vsum mundioris vitæ pertinent, auferuntur: postremò nec molæ sonitus audietur amplius, ita omnia necessarij victus adminicula desunt, quid igitur restat nisi horrenda solitudo?

Vers. 23. *¶ Et lumen lucernæ non videbitur in te amplius. &c.*

& 24. NEMO ibi habitabit, qui noctu lucernam accendat. Nec sponsi aut sponsæ vox audietur, nulla erit familia quæ eo commigrabit vnquam, nunquam celebrabuntur ibi nuptiæ, vt propter spem prolis, ciuitas instaurationem expectet, sed luctus, solitudo, silentium, horror, & confusio, eam perpetuò occupabit.

„ *QVIA mercatores tui erant magnates terræ. &c.* Redduntur rationes, cur tam seuerè Deus in eam animaduerterit. Prima igitur causa assignatur auaritia cum superbia coniuncta, quod mercatores eius inhonesto quæstui inseruientes, infinitas opes congesserunt, quibus elati pro regibus & principibus in mũdo haberi voluerunt. Quis nescit quantæ fuerint opes Cardinalium, Episcoporũ, Abbatum aliorumque, præsulum? & quantam dignitatem sibi arrogarũt? Secunda ratio redditur, quod veneficijs & incantamentis peruersæ doctrinæ, omnes gentes in errorem seduxerint. Quem verò latet? quibus mendacijs hominum mentes fascinauerunt, vt omnes sibi deuotos & addictos redderent. Postremò quantam prophetarum & sanctorum stragem ediderit Romana synagoga, cui tandem obscurum est? vt meritò in eam competat quod Christus in Hierosolymam dixit, omnem iustorum sanguinem qui fusus est ab Habelis Iusti sanguine, vsque ad finem mundi, ab eius manu reposci debere.

¶ Caput

VEMADMODVM PRÆCEDENTE capite introducti sunt reges, negocia tores, & nauticorũ turba, casum Babylonis misere deplorantes, ita hoc capite gaudium & exultatio omnium cœlestium ordinum describitur, quod meretrice abolita, Christus iam breui sponsę suæ adiungetur. Postremò nouissima Antichristi aduersus Christum & eius Euangelium concertatio, quam consequitur tandem, æterna eius damnatio, prædicitur.

¶ *Et post hæc audiui vocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis Alleluia. &c.* Vers. 1.

HORTATVS est paulo ante spiritus sanctus cœlum & cœlestes omnes, vt lætitia exultarent, ob casum Babylonis. Nunc igitur audit Ioannes vocem maximam in cœlo lætantium, exultantium, ac canentium Deo laudes æternas, ob seueritatem iuditij illius, quam aduersus meretricẽ exeruit. Dum igitur, lugent, plorant, vlulant, papistæ, ob charissimæ matris eorum Romanæ synagogę ruinam, vna vox est totius ecclesiæ Christianæ, qua toti cœlesti gaudio perfusi, gratulantur sibi, Deo gratias agunt, propter turpissimi scorti interitum. Hoc verò est Epinicion eorum carmen, Halleluia, Salus, gloria, honor, virtus, Domino deo nostro. Hebraica vox Halleluia est hortatoria, ad Deum laudandũ excitans, deinde exprimunt, quo modo laudetur Deus, nimirum, si illi soli, omnis salus nostra attribuatur, si honor, gloria, virtus, magnifici huius operis incipiendi, continuandi, perficiendi, vni Domino Deo ascribatur.

¶ *Quoniam vera & iusta sunt iudicia eius, quia iudicauit meretricem istam magnam. &c.* Vers. 2.

NE temerè, & absque maximi gaudij causa, exultare viderentur, quemadmodum vulgus sæpe solet, exponũt quanta sibi oblata sit lætitię materia, quod Deus veri & iusti iudicis partes executus sit, in vlciscenda magnæ meretricis impietate. Sæpe enim minatus est illi quod meruit excidium, id quia distulit, Deum & prophetas eius mendaO.v. tij ar-

tij arguebat, verum cum in caput eius paulò poſt incidiſſet, ſenſit veracem eſſe Deum, qui monuit vt reſipiſceret. At cum contemtis Dei admonitionibus, nullam ſcortandi, rapiendi, mactandi, finem faceret, experta eſt demum, iuſtum Dei iudicium, qui tam atrocia ſcelera ſemper ferre non poteſt inulta.

„ *QVIA iudicauit meretricem magnã. &c.* Quia æternæ dam-
„ nationis ſententiã protulit, in ſcortũ illud impudenſ-
„ ſimũ, Romanam eccleſiam, quę ſcortatione tam ſpirituali, quã corporali vniuerſam terrã corrupit, vt vix angulus vllus ab illius ſordibus purus remãſerit: quæ ſeruos Dei, martyres Chriſti, quotidiè incendijs, gladijs & exquiſitis tormentis, quaſi oues ad lanienam deſtinatas, crudeliter mactauit: quorum innocentiſsimum ſanguinem, nunc optimo iure vindicauit, cum ipſam perpetuis cruciatibus adiudicauit.

¶ *Et iterum dixerunt Halleluia. &c.*

Verſ. 3. NON ſemel tantum ſed ſæpe repetitis vicibus, cœleſtes iſti ſpiritus, Deo laudes canunt, omnéſque ad idem obſequium Deo præſtandum inuitant. Videmus itáq; vt nullo tœdio, aut faſtidio, gloriam Dei celebrent, qui ſyncero eius amore flagrant, & vt nullis laudibus aut gratiarum actionibus, ſatis ſibi faciant beati cœleſtium ordines, vt pro accepto beneficio liberationis eccleſiæ, à pollutionibus & crudelitate magnæ meretricis, ſe non ingratos Deo exhibeant. Admonemur hîc officij noſtri, quod indefeſſo ſtudio, Dei infinitam bonitatem celebrare teneamur, tum propter alia eius in nos collata beneficia, tum præcipuè propter exortam nobis euangelij lucem, qua nebulis paſſimi indies magis magiſq; diſcuſsis, Babylon occidẽtalis extremę ruinæ propinqua efficitur.

„ *ET fumus eius aſcendet in ſæcula ſæculorum. &c.* Vel hinc ſibi
„ ſolidam ſecurè exultandi materiam colligunt cœleſtes,
„ quod fumum Babylonis incenſæ, videant aſcendere in æternum, cum eam Deus perpetuis infernalis ignis tormentis cru-

tis cruciandam tradidit. Discamus hic inanem esse spem papistarum, de instauranda dignitate suæ ecclesiæ, cuius iustissimam condemnationem, cum ex verbo Dei agnoscamus, ex eodem, æternum fore eius incendium doceamur.

¶ *Et ceciderunt seniores viginti quatuor & adorauerunt deum. &c.* Vers. 4.

SÆPE antea obseruauimus, quanta reuerentia ad Dei gloriam celebrandam, venerandus ille seniorum viginti quatuor senatus accedat, cum quatuor Cherubicis animalibus. Procidunt enim in faciem, quo se indignos agnoscunt, qui Dei honores celebrent, coronas abijciunt, & proni Deum adorant, qui sedet super thronum maiestatis & gloriæ in æternum. Quod & hic etiam ab illis fieri videmus. Postquam igitur qua decuit submissione, suam humilitatem testati sunt, sanctissimæ angelorum, quam totius ecclesiæ nomine cecinerunt, cantilenæ, succinunt, Amen, Alleluia. Quo sanè significant, nihil se magis ex animo, ardentibus votis exoptare, quam vt Deo sua in solidum constet gloria, vtque omnes agnoscant, quanto beneficio ecclesiam suam affecerit, cum pœnas de meretrice magnas sumeret. Ideóque hortantur etiam hij, omnes fideles, vt deo laudem, gloriam, honorem, virtutem, ascribant. Toties repetitum Alleluia, docet facile remitti apud nos studium laudandi Dei, nisi ad hoc munus sæpe nos inuicem excitemus.

¶ *Et audiui vocem è throno dicentẽ laudate Deum nostrũ. &c.* Vers. 5.

VOx hæc vel à quatuor animalibus quæ thronum Dei sustentant, vel ab infinitis illis angelorum myriadibus, quę thronum in circuitu circundant, profecta est: admonens Deum ab omnibus seruis suis qui eum absque fuco metuunt, siue magnis, siue paruis, debitis laudibus extollendum esse. Quotquot itáque pro Dei seruis haberi volunt, non debent esse segnes in hoc officio, sed omni studio eniti, vt illius gloria vbique terrarum celebretur. Compellat enim vox ista, tam magnos, quam paruos,

hoc eſt cuiuſcunque ſortis ac conditionis fuerint, ne quiſquam ab hoc munere ſe immunem fore credat. Deinde etiam docet, qui ſint reuera ſerui Dei, cum vice expoſitionis addit, qui timent eum atque ex animo reuerentur illius mandata. Deum patrem ac dominum verbis agnoſcunt omnes, ſed quemadmodum expoſtulat cum Iudæis Deus, Malachiæ primo. Si pater ego, vbi honos? ſi Dominus, vbi timor? ſic vox iſta à timore Dei ſeruos eius definit.

¶ *Et audiui quaſi vocem turbæ multæ, & quaſi ſonum aquarum multarum, & quaſi ſonum tonitrui fortis. &c.*

Verſ. 6. VIDETVR vox hæc, quam tam operoſè deſcribit, fuiſſe omnium cœleſtium coniuncta, hoc epiphonemate cantilenam claudentium ac dicentium: Alleluia: quia regnauit Dominus Deus omnipotens. Vt veniat regnum Dei, cũ hoſtibus quibuſlibet debellatis, ſolius Dei imperium in cõſpectu omnium emineat, à ſeruatore Chriſto edocta, vniuerſa petit eccleſia. Illud regnum iam aduenisſe, teſtatur vox cœleſtis, cum abolita & deſtructa Antichriſti eccleſia, ſolus Deus regnet in cætu fidelium, quia iam inſtat omniũ Dei & eccleſiæ eius aduerſariorũ ſubuerſio, cum paulo poſt Beſtia prælio ſuperata apprehenditur, & ipſe tandem diabolus, cum Beſtia & Pſeudopropheta, in lacum igne ardentem præcipitabitur.

¶ *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam illi. &c.*

Verſ. 7. NOBIS inquiunt gratulemur tam fœlicem victoriã, & fruamur interim gaudio noſtro, Deo verò debitum honorem præſtare nõ obliuiſcamur: ſi quæramus, quæ noua lætitiæ cauſa? reſpondent.

„ QVIA venerunt nuptiæ agni & vxor eius. &c. Nunc enim in
„ propinquo tempus eſt, vt Chriſtus eccleſiam, quam olim deſponſauit ſibi vxorẽ, domum ducat, & eccleſia, iam iam in gratiſsimos chariſsimi ſponſi amplexus ventura, ſe adornet, vt eum venientẽ pro dignitate excipiat. Admonemur hîc, quicquid tẽporis reliquum erit eccleſiæ ab Antichriſtianę ſynagogę interitu, vſque ad finem mundi, id

illi

illi esse attributum, vt fide, pietate, & vitę innocentia, pulchrè ornata, in conspectum eius prodeat. Quod vtinam expenderemus omnes, vt abiectis carnis sordidissimis vestibus, nouis iustitiæ & sanctitatis ornamentis, animas nostras excolamus, vt parati simus in occursum Christo procedere, quacunq; hora venturus sit.

¶ *ET DATVM est illi vt amiciatur bysso pura & splendida, byssus enim iustificationes sunt sanctorum. &c.*

NE vel nuda, vel laceris vestibus cooperta, prodiret ecclesia, cum ex se non habeat munditiam aut splendorem, indicat aliunde illi vestes nuptiales esse comparatas. Nam pura & splendenti byssо, ex dono Dei ornata est, quæ sunt sanctorum iustificationes, hoc est, bona illa opera, quæ sunt viuæ fidei testimonia. Nam postquam in sanguine agni ablutæ sunt omnes ecclesiæ maculæ, induitur etiam iustitia noua, vt Deo per opera bona placere studeat. Et Deo per Christum grata est ipsius obedientia, quamlibet imperfecta. *Vers. 8.*

¶ *Et dicit mihi scribe. &c.*

DIXIMVS sæpiusculè, quoties iubetur Ioannes aliquid scriptis committere, post primum illud mandatum quod principio accepit, vt scriberet quęcunque videret, rem esse magni ponderis, & quæ diligenter à nobis expendi debeat. Cum igitur cœlestis vox beatos pronunciat eos, qui ad cœnam agni sint inuitati, significat felices esse, qui per Euangelij prędicationem, ad vitæ cœlestis participationem vocantur, modo suam felicitatem ipsi agnoscant. Quæ quanta fuerit, tum demum solidè apparebit cum dies nuptijs agni celebrandis constitutus, aduenerit. Quòd verò repetit hos sermones Dei esse veraces, ideo facit, vt doctrinam hanc de felicitate eorum qui Euangelicæ vocationis participes fiunt, grauissima assertione obsignet. Quam verò necessaria sit hæc obsignatio, plus satis intelligimus, cum profanum Euangelij neglectum vbiq; vigere cernimus. *Vers. 9.*

¶ *Et*

Vers. 10. ¶ *Et cecidi ad pedes eius vt adorarem eum. &c.*

NON dissimulat Ioannes suum ipsius lapsum, cum vtilis ad ecclesiam ex eo doctrina consecuta sit. Tanta erat personæ dignitas in angelo, vt ei diuinum honorem exhibere paratus esset. Sed non passus est angelus debitã deo gloriam in se transferri, fatetur se enim non dominum, sed conseruum eius, & fratrum illius, qui dẽ Christo testimonium perhibeant. Deum igitur solum, nõ se esse adorandũ se itáque significat esse vnum ex illis, quibus Deus vtatur ad significanda prophetis arcana Dei, quæ ipsi cæteris hominibus explicent, nam testimonium Iesu est spiritus prophetiæ, in vtrisque. Nam ad hunc scopum referuntur, omnes prophetiæ, & eum demum esse verum prophetiæ spiritum, qui nos ad Christum adducit. Qualis igitur spiritus papisticæ doctrinæ, qui nos semper à Christo ad creaturas abducit, cum præstantissima creatura angelus, oblatum sibi honorem tam anxiè recuset. Adorabimus igitur statuas, cruces, reliquias, cum ipsos angelos adorare nefas sit?

¶ *Et vidi cœlum apertum. &c.*

Vers. 11. RESTAT iam extremum prælium depugnandum contra impios, in quo fusis ac cæsis omnium hostium copijs solus Christus victor emineat, & extrema supplicia de reprobis sumuntur. Videt igitur Ioannes, cœlum apertum, è quo expectamus Dominum nostrum Iesum, qui spiritu oris sui, conficiet Antichristum, & claritate aduentus sui, abolebit. Prodit autem è cœlo equus albus, qui ministeriũ euangelij, purum & à sordibus ac maculis peruersæ doctrinæ syncerum repræsentat, cuius officium est Christum ad prælium hoc nouissimum quod cum Antichristo gesturus est, perferre. Nam per euangelij prædicationem, superatur Antichristus. Alij per album equum nubem candidam intelligunt, in qua venturus sit Christus ad iuditium, verum hæc visio mihi videtur non de iuditio, quod proximo capite describitur, sed de victoria Christi aduersus omnes hostes, quæ extremum iuditium immediatè præcedit, exponenda. Qui huic equo insidet, appellatur fidelis & verax

nam

nam quam pollicitus est opem se allaturum suis, opportunè adfert: iudicat autem & præliatur in iustitia, quia non nisi iustis de causis bellum suscipit, vt mundi principes, sæpe leuibus aut nullis de causis maxima bella gerunt: hic vero nihil temerè nihil præcipitanter, sed omnia cum iudicio agit, & iuxta æquitatis normam. Innumeris igitur lacessitus iniurijs, ab Antichristo, ad eum debellandum in aciem procedit.

¶ Et oculi eius sicut flamma ignis. &c.

OCVLORVM illius acies quouis igne penetrantior est, & ad intimos cordis recessus aditum sibi facit. Nulla igitur hypocrisis, nullæ fraudes, illius acumen visus fallere possunt. Millies si simulet Antichristus, se Dei gloriam promouere, & Christum regem agnoscere: nunquam effugiet inditium, qui omnem illius dissimulationem pertrahet in lucem. *Vers.* 12.

ET super caput eius diademata multa. &c. Antichristus Romanus, aduersus quem ad prælium instructus procedit, maximo sacrilegio vsurpat diademata multa, tanquam si in cœlo, terra, & inferno solus rerum potiretur. Sed Christus hereditario iure, caput habet multis diadematis redimitum, vtpote cui, omnium rerũ imperium pater concessit, sicut ipse testatur, inquiens, data est mihi potestas omnis tam in cœlo, quam in terra Math. 28. Pœnas igitur reposcet ab Antichristo, quod illius potentiæ insignia tam perfidè vsurpet, cũ tamen nulla diuina virtute præditus sit.

ET habet nomen scriptum quod nemo nouit præter seipsum. &c. Cum eiusdẽ sit cum patre & spiritu sancto essentiæ, maiestatis, & gloriæ particeps, quam dignitatem nulla creatura intellectu satis comprehendere possit, dicitur habere nomen, cuius vim ipse qui est sapientia patris solus intelligat. Nisi forte alludit ad illud Christi Mathæi. 11. cum dicit neminem cognoscere filium nisi patrem, nec patrem quemquam cognoscere nisi filium, aut ij quibus filius eum manifestare velit, mihi tamen prior expositio arridet.

¶ Et indutus veste tincta sanguine. &c.

FAL-

Vers. 13. FALLVNTVR meo iuditio, qui per vestem sanguine tinctam humanam Christi naturam intelligunt, in qua per sanguinem suum Deum nobis propitium reddidit. Hic namque describitur Christus bellator, & iudex, qui talibus indutus sit armis, quæ eum terribilem hostibus faciant. Et est manifesta alluſio, ad Esaiæ visionem, qui capite. 63. dominum introducit, ex cruenta Idumæorum cæde, totum sanguineum & rubicundum. Gestat igitur vestem Christus sanguine tinctam, vt perterrefaciat aduersarios suos, cum hoc symbolo admoneantur, quas olim ille strages ediderit de hostibus ecclesiæ, vt similem aut maiorem cladem suis ceruicibus impendere agnoscant.

„ *ET vocatur nomen eius sermo Dei. &c.* Prius dixerat, nomen
„ eius sibi soli notum esse, nunc indicat appellari sermonē Dei. Prius igitur nomen intelligamus, de in cōprehensibili eius essentia, hoc verò de officio eius, quatenus in persona mediatoris se ipsum nobis patefacere dignatur. Est igitur sermo ille Dei, ante sæcula à patre genitus, qui definito cœlesti consilio tempore, homo factus est, & admirabile opus redemptionis humanæ in carne nostra peregit.

¶ *Et exercitus qui sunt in cœlo secuti sunt eum in equis albis*

Vers. 14. LICET solus lacum iræ diuinæ calcat, vt proximo versu docemur, & solus polleat virtute ad hostes suos subiugandos, adiungit tamen sibi militiæ comites, omnes cœlestes exercitus, id est fideles ecclesiæ suæ ministros & professores Euangelij, quos non tam ad partem laboris educit, quam ad victorię participationem assumit. Quod ex ornatu eorum facile cernere possimus, nā triumphantium more, equis albis insident, & byſſo candida & pura amiciuntur, quæ vt supra accepimus, sunt iustificationes sanctorum, & his ornamētis induti, hoc est fide & inocētia, audēt inprę-liū prodire quasi aduersus mortē & vulnera, satis armati.

Vers. 15. ¶ *Et ex ore eius procedit gladius acutus. &c.*

GLADIVS hic vt primo etiam capite accepimus, verbū Dei significat, cuius veritas & certitudo ex illius ore pendet: docet igitur quo telo pugnabit Christus aduersus

Anti-

Antichriſtum, nimirum gladio ſpirituali per verbi ſui prædicationem: facit hic locus, vt de extremo iudicio hãc pugnam cõmodè interpretari non poſſum? Et Paulus ad Theſſalonicenſes, duplicem eius victoriæ gradum videtur prædicere, alterum quo ſpiritu oris Chriſti interficitur, alterum quum claritate aduentus eius penitus aboletur.

VT ea percutiat gentes. &c. Iuxta Dauidis vaticinium, Dei decretũ recitantis Pſ. 2. rebelles ſibi gentes, gladio percutiat, & tumultuantes populos virga ferrea, quaſi vaſa figulina cõminuat. Ipſe etiã Chriſtus reproborum eſt ruina, qui lacum iræ omnipotentis Dei calcat, hoc eſt reprobos omnes virtute ſua ſuperatos, æternis inferni ſupplicijs adiudicabit. Notetur hic emphaſis, ſingularum vocum, quæ ad terrendos impios adhibetur. Et alludit ad Eſaiæ vaticinium, de clade Idumæorum vt diximus ante, cap. 63. vbi eadem ferè verba de calcato lacu habentur.

¶ Et habet ſuper veſtimentum eius & ſuper femur eius, nomen ſcriptum, rex regum & dominus dominorum. &c.

VT omnes inuictam eius potentiam agnoſcant, palam in veſtimento & femore nomẽ habet inſcriptum, quod eius maieſtatem & imperium deſignat, nempe quòd omnium regum ſit rex, & omnium dominorũ dominus. Quicunque igitur ſibi regnum aut Dominatum vendicant in toto terrarum orbe, ſunt illius ſubditi. Quod ſi ſponte ac libenter eius imperium non agnoſcant, velint nolint, ad illius obſequiũ pertrahentur. Fruſtrá igitur Antichriſtus, inſolentibus titulis regni & dominij ſuperbit, quia ſummi huius regum regis iugo ſubijci eum oportet. Sedet enim à dextris Dei, donec omnes inimici eius ponantur ſcabellum pedibus eius Pſ. 110. *Verſ. 16.*

Et vidi vnum angelum ſtantem in ſole. &c. *Verſ. 17.*

SOLET eſſe inauſpicatũ hominibus, ante victoriã canere triũphũ, & nõ dũ debellatis hoſtibus, de præda ac ſpolijs cogitare ridiculũ eſt. Verũ longè aliter ſe res habet in ijs bellis, quę Chriſtus gerit. Ipſe enĩ de felici exitu ſẽper certus, ſecurè inſultare hoſtib⁹ poteſt. Quemadmodũ hic angelus

qui præconis officio fúgitur in ipso sole quasi in medio mũdi foro aut Theatro locum sibi deligens, victoriam Christi de Antichristo, altissima voce proclamat. Et tantã fore aduersariorum eius stragem ædendam, vt omnes uolucres, quotquot per medium cœli volitãt, ad cœnam magni Dei, quam ipsis tam innumeris hostium cadaueribus fusis parauit, maximo studio inuitet

¶ *Vt comedatis carnes Regum, & carnes tribunorum. &c.*

Vers. 18. VT sciant volucres, quam lautè excipiendæ sint in cœna magni dei, enumerat Angelus, saturandas esse carnibus nobilium, regum, satraparum, fortissimorum ducum, equitum & equorum, omnium denique liberorũ ac seruorum, paruorum, ac magnorum cadaueribus. Qua parabola, significare voluit, quam horrenda clades esset Antichristo inferenda, vt nullius conditionis homines, qui ei in subsidium uenerãt, ab eius supplicio effugerent, siue principes sint, siue plebei, siue parui, siue magni. Neminem enim ex toto Antichristi exercitu fore superstitem, aut pecunia redimendum, sed ad vnum omnes esse interficiendos. Admonemur hîc etiã, quod Christum magnum Deum appellet, contra putidas Arrianorum calumnias, quemadmodum & Paulus ad Titum cap. 2. de secundo eius aduentu verba faciens. Nam vtrobique maximum, & patri per omnia æqualem intelligit spiritus sanctus Christum, quem magni Dei nomine illustrat.

¶ *Et vidi bestiam, & reges terræ & exercitus eorum congregatos, vt bellum gererent aduersus eum qui sedet super equum & exercitum eius. &c.*

Vers. 19. ORITVR nunc bellum omnium grauissimum, iam enim opponit se imperatori Christo Antichristus, cum confœderatis impijs principibus, & vniuerso eorum exercitu. Legimus suprà cap. 16. ex communi consilio diaboli, papæ & cleri illius, emissos fuisse legatos, qui instar ranarũ nihil nisi bullas & inanem strepitum iactantium, loquacitate sua principes excitarent, vt arma aduersus Christũ sumerent. Nunc itaque extremo hoc prælio militant Anti-

christo

christo, dum eius tyrannidem, quam Deus vult esse abolitã, modis omnibus stabilire studeant, & regnum Christi quod per Euangelium propagatur, maximo labore cupiunt euertere. Pugnant igitur totis viribus aduersus Christum, & illius exercitum, hoc est, prȩcones, & professores veritatis illius, quemadmodum quotidiè videmus ob oculos.

¶ *Et apprehensa est bellua, & cum eo Pseudopropheta qui facit signa coram eo. &c.* Vers. 20.

DVO reliqui huius capitis versus docent, quis exitus futurus erit nouissimi huius prælij, & primum quid ipsos duces maneat. Capti sunt inquit (fusis omnibus eorũ copijs) Bestia & Pseudopropheta, id est, Antichristus Romanus, & eius Clerus pseudopropheticus, qui fictis signis ac miraculis, gentes in errorem seduxit, vt bestiæ seruitutẽ profiteri eiusque imaginem venerari in animum inducerẽt. Hij igitur duo, post infinita eorum scelera, tandem cõprehensi, viui præcipitati sunt, in lacum sulphure perpetuo ardentem. Hoc est grauissimẽ omnium damnationi adiudicati sunt, tantò nimirum atrocioribus tormentis cruciandi, quantò flagitijs grauioribus, reliquos mortales anteceſſerunt. Hic exitus erit Antichristianæ tyrannidis. Iun. 7. 11.

¶ *Et reliqui interfecti sunt gladio sedentis super equum. &c.* Vers. 21.

LICET acerbissima sententia dicta sit in capita nefariæ huius conspirationis aduersum Christum, non tamen effugient membra. Quotquot enim reges aut magistratus, ministros se præbuerunt Antichristiani furoris, cum reliquis omnibus cuiuscũque conditionis hominibus, qui Antichristum, quàm Christum regnare mallent: omnes isti gladio verbi Dei, cui non obtemperant, vt viuant, æterna morte interficiũtur. Et ne placeant sibi in sua multitudine, ex cæsis eorum cadaueribus, omnes volucres cœli ad satietatem se implebũt. Hic finis, hoc iuditium manet, profanos omnes Euangelij contemtores, quod auertat à nobis clementissimus Deus per Christum filium suum.

¶Caput vicesimum.

PAVLO OBSCVRIOR VIDEBITVR huius capitis coniunctio cum præcedenti visione, nisi rem altius & ab initio repetamus. Principiò itáque huius visionis, introductus est draco ille magnus diabolus, primarius hostis ecclesiæ, cui posteà militant Antichristus, & eius Clerus, cum principibus & populis qui illis parent, quorum omnium damnatio in fine. 19. capitibus proximè præcessit: sequitur nunc igitur optimo ordine, Satanæ ipsius condemnatio, quæ futura sit in extremo die iudicij. Sed quia latius patet impietas diaboli aduersus Christum & illius ecclesiam, quam quæ Papæ aut ecclesiæ Romanæ tyrannide contineri possit: breuem omnis illius machinationis historiam texit, à Christi morte vsque ad finem mundi. Quod est diligenter obseruandum, ne in Chiliastarum deliria incidamus, si mille annos de quibus loquitur Ioannes à superato Antichristo inchoari putemus.

¶ Et vidi angelũ descendentem è cœlo habentẽ clauẽ abyssi. &c.

Vers. 1.

RESTABANT adhuc supplicia de Satana sumenda, qui caput est & princeps omnis persecutionis, motæ aduersus ecclesiam. Primum igitur depingitur illius impietas, vt grauissimam æternæ damnationis sententiam meruisse eũ agnoscamus. Nam ante Christum, totum terrarum orbem præter paucos admodum ex Iudæorũ natione, in Idololatriã & turpissimã vitam seduxit. Tandem vero descendit, è cœlo angelus, qui Christum repræsentat, aut saltẽ eius ministrum qui clauem haberet ad claudendam abyssum, quæ esset carcer in quo cõcluderetur Satanas, & in manu catenam magnam, qua vinciretur diabolus, quamdiu in carcere detineretur. Ita videmus non solum carcere conclusum, sed catena etiam ligatum Satanam, vt non noceret. Tanta est enim illi innata lædendi libido, vt nisi in vincula & carcerem conijciatur, semper aliquas turbas dabit. Verum non est quod metuant sibi electi, ab illius tyrannide, quia cum Christus quoties vult, in abyssum detrudit,

&

& catena magna manibus pedibusque vinctum detinet, vsque dum illi visum fuerit, eum ad seducendum reprobos emittere. Nam sicut in puteo eum concludit, dum suorum saluti consulit, ita etiam vinculis solutum grassari finit, vt in impijs iræ ac perditionis filijs agat pro arbitrio, vt tandem cum eo iustis supplicijs in æternum crucientur.

¶ *Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas & ligauit eũ ad annos mille. &c.*

CVM ferè ab orbe condito, solutus ambulasset diabolus, per omnes gentes, & mundum vniuersum, omni impietatis ac scelerum genere repleuisset, tandem in aduentu Christi, qui sibi ecclesiam & populum multum ẽ gentibus elegerat, refrenatur illius proteruia, & quamuis maximè elabi niteretur, imò Christum ipsum si quo modo posset, superare, per Pharisæos & Sacerdotes summos conaretur: comprehensus est tamen, quamlibet magnus ac terribilis draco, licet antiquissimus & astutissimis serpens, qui omnes mortales prius seduxerat, vtcunq; se calumniatorẽ Christi & illius doctrinæ, ac hostem acerrimum præbuisset, comprehensus est inquam, & magna illa syncerę doctrinæ catena ligatus, vt liberè pro solito euagari nõ posset. Quod varijs eum titulis exornet Ioannes, non solum ideo factum est, vt sciamus quem intelligat, per Draconem magnum, verum etiam hijs nominibus eum insignit, vt mores & ingenium eius agnoscere & cauere discamus. Quemadmodũ supra exposuimus capite. 12. Quin etiam hoc loco, varias eius nomenclaturas recenset, vt intelligamus licet mille artifex & Proteus in centum figuras se transformaret, non potuisse eum tamẽ hoc Christi propositum declinare, quin caperetur, atq; in vincula conijceretur. Tempus vero quod hic mille annorum spatio circumscribitur, quo vinctus in carcere detineretur, longum tempus indefinitè significat. Quo spatio obtineret in mundo pura euangelij doctrina, & plurimi homines, ex omnibus gentibus ad æternam Christi hereditatem assumerentur. Et videmus vt ferè ad mille annos post Christum, syncerę doctrinæ lux aliqua remanserit, *Vers. 2.*

ferit, in mundo, saltem de præcipuis & maximè necessarijs ad salutem capitibus Christianę religionis multi consentirent: donec tandem inuecta per Antichristum doctrina, de meritis, satisfactionibus, missæ sacrificio, aliisque portentis, vnicum fidei & gratuitæ iustitię fundamentum, è medio sublatum esset. Toto igitur illo temporis spatio, ligata est diaboli potestas, quam diu per fidem in Christi solius meritis, aditus patebat ad cœlum hominibus. Et obseruemus ligatum dici Satanã, & carcere conclusum, quam diu maximam multitudinem ad æternum exitium nõ seducit. Nam agebat etiam in reprobis, per annos mille quibus vinctus erat. Sed quia non totum simul orbem, aut maximam eius partem depopulari poterat, clausus in abysso & magna catena alligatus dicitur.

Vers. 3. ¶ *Et misit eum in abyssum & concluſit eum & obsignauit super eum. &c.*

COMPREHENSVM & vinctũ Satanã, in profundissimã abysum angelus coniecit, deinde occluso & obserato carceris ostio, sigillũ Dei imprimit ianuæ, ne quis illam reserare auderet. Similitudo sumta est à consuetudine principum, qui quos in arctissima custodia detineri volunt, in intima carcerum gurgustia concludunt, ac deinde portam sigillo suo obsignant. Quod tantis repagulis indigeat Satanas, vt coerceri possit illius improbitas, agnoscere licet studium illius quo flagrat ad nocendum, & ingenium eorum, qui patrẽ suũ lędendi desyderio referũt. Deinde quod multis cõpedibus refrenaretur diaboli inhumanitas, gratum erat fidelibus, qui regnum Christi quam latissimè propagari cupiebant.

„ *Nè seduceret gentes. &c.* Nihil Satanæ molestius est, quã
„ si inuidiæ ac furori suo indulgere nõ possit, vt maximam hominũ turbam: ad æternos cruciatus pertrahat, saltem damnum aliquod aut incommodũ ecclesiæ adferre non possit. Orabat Christũ tota dæmoniorũ legio, ne præciperet illis in abyssum discedere, saltem vt in porcos sæui-

re

re permitteret, Lucæ. 8. vnde intelligimus, tum demum in abyssum præcipitari Satanã, cum illi nocendi facultas ablata est. Quantus igitur cruciatus fuit Satanæ, cum ad tam longum tempus, in abysso ligatus manere cogeretur. Sed absurdum videtur, per mille annos ligatum fuisse diabolũ, cum nunquam grauiores persecutiones motæ essent in ecclesiam, quam proximis post Christum sæculis, verum obseruare debemus, non prohibitum fuisse Satanam ne in corpora sæuiret, sed ne seduceret gentes, vt olim solitus erat in Idololatriam, & omne genus impietatis, quod ad maximam electorum multitudinem referendum est, qui sub euangelio, per mille annos vocati sunt, & in fide Christi per omnia aduersa constantes perstiterunt.

¶ *Et post hæc oportet eum solui ad modicum tempus. &c.*

CVM iam inualuit Mahumetis ac Papæ pestis, ad exiguum tempus eum solui oportet, vt gentes seducat in Idololatriam, quemadmodum ante Christum natum seduxit vniuersum orbem. Nam post mille annos, dum Turcæ in oriente, Papistæ in occidente, omnia suis delirijs occuparent, verè solutum è carcere Satanam conijcere debemus: sed nõ diu durabit hoc malũ, propè est enim mundi consummatio, & euangelij veritas rursum orbi restituta, vtriusque hostis impostura detegit.

¶ *Et vidi thronos & sederunt super eos. &c.* *Vers. 4.*

QVAM beata fuerit conditio fidelium per mille annos quibus Satanas in carcere conclusus mansit, describitur hoc versu. Nimirum quod superatis omnibus difficultatibus, etiam mortis metu, feliciter ad cœlum migrauerint. Nam mortificatis prauis omnibus & carnalibus affectibus, in nouam vitam regeniti sunt, adeò vt securi percuti, non recusarent, potius quam testimonium Iesu, aut sermonem Dei abnegarent, aut Antichristi tyrannidi vllo modo se subijcerent. Quare ab ærumnosæ huius vitæ miserijs, per primam mortẽ corporis, liberati, & in cœlestia suscepti, viuunt adhuc & regnãt cũ Christo per

totos mille annos, hoc est, quamdiu Satanas in vinculis manebit, non quod post mille annos morientur, aut regnare desinent cum Christo, sed vt exprimat, quanto piorum beneficio, diabolus per tam longum temporis spacium in carcere detineatur, cum interim maxima electorum multitudo, illius impostoris non seducta, mortalem hanc vitam in spe, & reliquum tempus corpore exuti, in beata felicitate transigent. Quod enim thronos illis ad iudicium assumtis poni videt, satis indicat eam beatitudinem qua nunc fruuntur felices mortuorum spiritus, vsq; ad mundi consummationem duraturam, vt tunc quasi membra capiti coniuncta iuditium orbis cum Christo exerceant, quemadmodum testatur Paulus, quod mundum & angelos iudicabimus. 1. Cor. 6.

¶ Et reliqui mortuorum non reuixerunt, donec consummarentur mille anni. &c.

Vers. 5. QVEMADMODVM superiore versu exposuit, piorum conditionem per mille annos. Ita hoc versu impiorum statum describit. Nimirum quod mortui essent, in quibus Christus non viueret, neq; à corporis interitu in beatam vitam excitarentur, sed mortui manerent totis illis mille annis tam corpore quam animo: non quod anima illorum cum corpore interierit, sed quod prima morte quę est corporis defuncti, secunda etiam morte, quæ est æterna animæ damnatio plecterentur. Hæc est enim prima resurrectio, qua animis à peccato quod mortẽ parit, resuscitatis, in nouam vitã resurgimus, quæ cœpta in hoc sęculo, post dissolutionẽ corporis huius maxima incrementa sumit, ac tandem in secunda resurrectione post restitutionem corporis plenè perficietur.

¶ Beatus & sanctus qui habet partem in prima hac resurrectione. &c.

Vers. 6. FELICITATEM eorum & sanctimoniã celebrat, quorum sors est in prima resurrectione, quæ est animę à peccato regeneratio, quia in hos mors secunda, quæ est animæ & corporis æternus cruciatus, potestatem non habet: & vt

supra

supra Christus, qui vicerit non lædetur à morte secunda. Sed erunt Deo & Christo sacerdotes, qui sanctificati sacrificium Eucharisticum, nunquã offerre desinent, & regnabunt cum Christo per mille annos, dum impij à morte illa animæ non resurgent, donec æternis tormentis adiudicentur. Docemur hîc, quod qui per spiritum Christi regeniti sunt in nouam vitam, ab æternę damnationis metu liberati sint, nec vnquam è gratia Dei excidere possunt in perditionem, sed qui opus regenerationis inchoauit, idem ad ęternam felicitatem illud perficiet.

¶ *Et postquam consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas è carcere suo. &c.* Vers. 7.

CVM aduenerit tempus à Deo definitum, quo mundus ob ingratitudinem, & Euangelij neclectum, in pristinos errores relabi meruit, ablata prius Satanę seducẽdi potestas, rursum illi permittitur, vt totum ferè terrarum orbem solitis præstigijs ac imposturis, in falsam & adulterinã religionem pertrahat. Horrendum planè est hoc diuinæ seueritatis exemplum, & hoc etiã prædixit fore diuus Paulus, vt efficatiam erroris in eos immitteret, qui lucem veritatis spreuerunt. Nõ est igitur quod miremur si duæ absurdissimæ hæreses, altera Mahumetis, altera Papæ, tanta incrementa sumserint in mundo, cum soluto diabolo omne malorum genus exundare sit necesse.

¶ *Et egredietur ad seducendum gentes quæ sunt in quatuor terræ angulis.* Vers. 8.

DOCET Ioannes certo Dei consilio, è custodia emissum Satanam, vt non vnam aliquam gentem, sed omnes gẽtes quæ sunt in quatuor terræ angulis, seduceret atque deciperet, vt eas à fide Christi, quam ore tenus profitebantur, deficere cogeret, ad superstitiones Turcicas & Papisticas, adeò vt per totum orbem, paucissimi restarent, qui verum Christi euangelium amplecterentur & doctrinę puritatem retinerent.

GOG & Magog. &c. Non dubium est, quin per hos intelligat, occultos & apertos Christianæ religionis hostes,

tes, id est, omnes eius, qualescunque aduersarios, Gog enim tectum significat, Magog retectum. Papa enim Christi nomen prætexit impietati suæ, cum sit iuratus aduersus eũ hostis, Mahumetes verò Christi nomen palam conuitijs afficit. Quãquam sub his omnibus aliæ omnes hæreses quæ sunt in mũdo, comprehenduntur. Et de his aduersarijs ecclesię & eorum subuersione extat insignis prophetia Ezechielis capite. 38. & .39. Imperat enim Deus prophetæ, vt vaticinetur aduersus Gog & terram Magog, principem & caput Mesech & Tubal. Mesech autem ex Psalmo. 120. Arabiam significare colligimus, & Thubal Italiam habitasse dicitur. Magog Scythis originẽ dedit, erant hij omnes Iapheti posteri. Et videmus vt præcipui hostes ecclesiæ, ex his Regionibus originem traxerũt. Mahumetes ex Arabia, Papa ex Italia, Othomannus ex Scythia. Hos omnes in errores seductos, conscribit diabolus ad bellum contra Christũ & ecclesiam eius gerendum. Exercitũ verò ex hijs sibi cõparat, cuius numerus est, tanquã arena maris, infinitus. Tanta est impiorum multitudo, quæ militat Satanæ. Eant nunc Papistæ, & de sua multitudine gloriẽtur, imò adnumerabimus illis Turcas, & omnes Mahumetistas, quorũ accessione, nihil aliud assequentur, quam vt omnes coacti in vnum cœtum, sint exercitus diabolí.

¶ *Et ascenderunt in latitudinem terræ. &c.*

Vers. 9. QVANTA fuerit eorum multitudo, exprimit hoc versu, quòd totam terræ superficiem occupauit eorum exercitus, & ecclesiam, id est, castra sanctorũ circundiderunt, & ciuitatem dilectam Hierosolymam cœlestem, arctissima obsidione clauserunt. Hîc quam in angustum locum redigenda sit ecclesia docemur, cum exercitus diaboli, toti ferè terræ incubuit, & castra sanctorum quæ exiguum tantum spatium occupant, Satanæ copijs ex omni parte circũsepta sint. Videmus enim vt ab oriente Turca, imminet orbi Christiano, in occidente grassata est Romani Antichristi sęuitia, ita dilectam ciuitatem vtrinque obsederunt. Sed bono animo simus obsessi, Deus enim qui ciuitatem nostram

stram diligit, non sinet eam, in hostium potestatem tradi. Castra licet oppugnēt sanctorum, Gog & Magog, cum omnibus eorum machinis: dominus tamen exercituum, pro nobis stat, & tam profundo vallo, nos vndique circundat, vt nunquam nos exuere castris possint. Verum tandem horrendus, subitus, ac inopinatus interitus, tanquam ignis è cœlo Sodomam & Gomorram, apprehendet eos, & in cinerem rediget: hic exitus erit Gog & Magog, quem vt maturare dignetur Deus, assiduis ab eo votis, contendere debemus.

¶ *Et diabolus qui decipit eos in lacum ignis & sulphuris, &c.*

NVNC tandem venit vltima diaboli damnatio. Postquā enim omnibus modis quibus licuit illi, ecclesiam persecutus sit, vt duodecimo capite continetur, excitans contra ipsam, Romanum Antichristum & eius Clerū, opponēs illi meretriciam ecclesiam, & tandem etiam Mahumetistarum odia in eam concitans, postremò apprehenditur, & vnà cum Bestia & Pseudopropheta æternis cruciatibus adiudicabitur. Hæc merces erit illi tantorum laborum, quod licet non ignorat Satanas, non tamen quicquam remittit de rabie sua, qua furit in pios, sed quo propinquior est extremo supplicio, eò magis insanit aduersus ecclesiam. Sed cum cum omnibus angelis suis, Christus assumtis sibi fidelibus, quasi caput & auctorem omnis impietatis, quæ in mundo grassatur, perpetuis inferni tormentis cruciandum decernet. Tum demū ecclesia superatis omnibus hostibus, peccato, morte, diabolo, securè sub Christo imperatore triumphabit in æternum. Interim dum in terra peregrinatur, huius felicitatis spe ac expectatione suffulta, æquo animo res aduersas perfert, & mundo spreto, ad cœlū quotidiè aspirat. *Vers. 10.*

¶ *Et vidi thronum album, & sedentem super eum à cuius facie fugit terra, & cœlum, & locus eorum non est amplius inventus, &c.*

NVNC visionē hāc cōcludit descriptione extremi iuditij, *Vers. 11.*

nam

nam licet sæpe illud prius attingere cogeretur, plenam tamen eius formam in hunc locum extremum reseruauit. Videt igitur positum augustæ magnitudinis thronum, ipso candore, iudicis & iudicij synceritatem testantem. Nulla enim futura est in eo tribunali, iuditij corruptio, nulla personarum acceptio, nihil illic præmia valebunt, nihil amor, aut odiū, sed omnia iustitia moderabitur. Iudex verò, hoc est dominus noster Iesus Christus, tantæ maiestatis est, vt fugiat ab illius conspectu, cœlum & terra, totam enim mundi faciem aduentu suo immutabit. Huc referamus licet obscuratum solem & lunam, ac virtutum cœlestium cōcussionem, horrendum maris rugitum, & omnium creaturarum trepidationem. Tantus est horror illius iuditij, vt exanimati mortales eius metu crucientur, priusquam venerit. Quis igitur terror cum iudex pro tribunali sedebit? Quod verò cœli ac terræ locum negat fore inuentum, non intelligit abolendam esse creaturam penitus, sed veterem hanc formam exuendam, vt noua & longè perfectiore induatur, quemadmodum legimus Psal. 102. & 2. Petri. 3.

Vers. 12. ¶ *Et vidi mortuos magnos & parvos &c.*

IVDITII seueritas primo exprimitur, quod nemo illud, siue magnus, siue paruus effugere possit, opportet enim nos omnes manifestari ante tribunal Christi. Deinde aperientur libri, qui sunt singulorum conscientiæ. Tum nihil valebit hypocrisis, aut innocentiæ simulatio, cum aperta conscientia ex ea quisque sententiam accipiat, qualem meritus est suo ipsius iuditio. Nam est illud poëtę semper verissimum: Prima est hæc vltio, quod se Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quamuis Gratia fallacem prætoris fugerit vrnam. Sed interim quæ salus erit electis? nam & hij conscij sibi sunt plurimorum peccatorum, quandóque etiã maximorum scelerum. Sed occurrit Ioannes, ostendēs productum fuisse ac apertum alium librum, qui liber vitæ dicitur, vnde constabat quos Deus immutabili decreto, ad vitã prærordinauerat. Hinc pēdet salus electorum, quam fide in Christi dignitate ac meritis, in quo fundata est eorum electio

ctio assequuntur, & per gratiam spiritus ipsius, in nouas creaturas formati, ad gloriã nominis ipsius per bona opera eam mundo testatam faciunt. Igitur ex operibus quæ quisq; gesserit in carne, iuditium vnicuique fiet, teste sua ipsius conscientia. Cæterũ intẽpestivè quæstionẽ hîc aliquis mouerit, quasi futurum sit iuditium infantibus, qui nihil boni maliue gesserunt. Hæc enim ad erudiendos iadultos pertinent, & de eorum iuditio intelligenda sunt, nam in hijs qui nulla opera fecerunt, sola electio aut reprobatio locum habebit.

¶ *Et reddidit mare mortuos in ipso, & mors & infernus reddiderunt mortuos qui in ipsis erant. &c.* Vers. 13.

QVIA varijs læti generibus homines è vita tollũtur, alijs in mari submersis, alijs igne consumtis, alijs in frusta cõcisis, incredibile videtur carni, resurrecturos oẽs eodem modo. Repetit igitur Ioannes, quemadm odũ in visione sibi ostensum erat mare, mortẽ, infernũ, reddidisse eos ad iudiciũ, qui in ipsis mortui inueniebantur. Quo significat neminẽ, quocunq; mortis genere occubuit, interiturũ, sed ad vnũ oẽs, voce seruatoris Christi, post tubã nouissimã, & vocem archangeli exitandos ad iudicium cum suis corporibus. Certum est igitur nec corrumpi in nihilum piorum corpora, nec impiorũ cadauera cruciatus euasura.

ET iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris. &c.

Quia nihil facilius est hypocritis, quam simulare pietatem verbis, iterum repetit iudicandum esse vnumquemq; ex operibus, conscientia propria, quæ est mille testium instar, sententiam vt iustam approbante.

¶ *Et mors & infernus proiecti sunt in lacum ignis. &c.* Vers. 14.

IN vocibus mortis & inferni Metonomia est, pro ijs qui mortis & inferni sententiæ rei essent. Reprobi enim, qui testimonio conscientiæ ipsorũ, ob scelera sua damnati sunt, sine mora in lacũ illum igneum, hoc est in ęternos cruciatus coniecti sunt. Atque hanc asserit esse secundam mortẽ, cum anima corpore induta, perpetuis inferni supplicijs cũ diabolo & Angelis eius torquebitur. Deus igitur operam

ram, vt primę reſurrectionis fiamus participes, ne in ſecundam mortem præcipitemur.

¶ *Et ſi quis non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, proiectus eſt in lacum ignis. &c.*

Verſ. 15. EXPLICAT iam apertius quid per mortẽ & infernum, quos in gehennam præcipitandos dixit, intelligat, nimirum omnes reprobos, qui ad vitam æternam in Chriſto non ſunt prædeſtinati. Hi omnes iuſtiſsimo, licet nobis arcano, Dei iuditio, in lacum igne ac ſulphure ardentem conijciuntur. Soli electi ab hac damnatione liberi ſunt. Videmus hîc, vt ſanctificatio electionẽ ſequatur, reprobi in corruptione maneant. Nam iudicãtur oẽs, iuxta opera ſua. Soli tamen electi ſaluantur, reprobi omnes æterno ſupplicio damnantur. Quotquot igitur ſpiritu electionis donati ſumus, ſtudeamus eam nobis ratam facere per opera bona quę Deus parauit vt in eis ambularemus, ad laudem & gloriam nominis ipſius, cui honos & poteſtas tribuatur in ſęculum.

¶Caput viceſimum primum.

SEQVITVR IAM POSTREMA VIſio huius Apocalypſeos, quæ reliquis duobus capitibus continetur, in qua rerũ omnium inſtauratio cum beata eccleſię poſt reſurrectionem conditione deſcribitur.

¶ *Et vidi cœlum nouum & terram nouam. &c.*

Verſ. 1. FElicẽ totius mũdi renouationẽ futurã prædicit, cum ſemel Chriſtus electorum redẽptor apparuerit. Alludit autẽ ad ea quæ Iſaias cap. 65. & 66. de noui cœli & terræ nouæ reſtauratiõe vaticinatur. Nã vt hominis lapſu vniuerſus

mundus

mundus in ruinam & interitum collapsus est, ita etam cum generis humani instauratiõe reliqua creatura reparabitur. Quid igitur veterascentem hunc orbem, & senio propemodum putrescentem, tantopere suspicimus, ac non potius ad nouum illud cœlum & terram nouam, in qua habitat Iustitia, quotidianis votis suspiramus?

NAM cœlum prius & prior terra abierunt. &c. Adeò sunt omnia in hoc cœlo & terra qua nunc viuimus, vanitati ac corruptioni obnoxia, vt necesse sit ea aboleri, vt nouo cœlo ac terræ nouæ locus sit. Non quòd creatura in nihilum redigetur, sed quod restitutio illa gloriosa in libertatem filiorum Dei, pro qua nobiscum ingemiscit, futura sit quasi altera creatio cœli ac terræ. Rom. 8.

ET mare non est amplius. &c. Nihil horridum, nihil incultũ, quale nobis videtur mare, in beata illa mundi palingenesia cernetur. Nihil q electos velut in vna ciuitate habitantes desiunget, nihil illis inuium aut cum periculo peruium erit. Cęterum intempestiuè hic quæritur, quid fiet elemento aquæ, cum non propositũ sit spiritui sancto, substantiam aut materiã ex qua constabit mundus renouatus, sed qualitates describere.

Vers. 2.

¶ Et ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam, Ierusalem nouam descendentem à Deo è cœlo. &c.

NON modo totius mundi felix erit reparatio, sed ecclesiæ imprimis conditio erit omnium beatissima, vtpote cuius causa, reliquus orbis beatitudinis fiet particeps. Cõparatur verò eius status, vrbi sanctissimæ nouæ Hierosolymę, nouæ & admirabili structura exornatę, cuius architectus sit ipse Deus, cuius fundamenta è cœlo iacta sunt, quæ veteris illius Ierusalem gloriam & splendorem tantò superat, quantò habet illustriora principia. Illa enim in loco terræ aspero nec satis irriguo, posita erat, primò à profanis quibusdam Iebusæis ædificata, toties debellata, tandemq; à fundametis euersa & solo adæquata. Hęc vero sanctissima ciuitas, Deum habet auctorẽ, & è cœlo descendit, omnem cœli pulchritudinem secum deferens. Huius ciuitatis nos

ciues

ciues esse gloriemur, quã se vidisse tã asseueranter narrat Ioannes, vt iam conditam esse intelligamus, ne vulgi more qui omnes rerum futurarũ euentus putat esse ambiguos & incertos, eam quia non videmus, minus paratam esse crederemus.

„ *PRÆPARATAM vt spõsam ornatã viro suo. &c.* Ex-
„ plicat in quo potissimum consistat sanctorum beatitudo, nempe vt Deo in solidum adhæreant, vt sponsa in amplexus sponsi veniat, vt membra capiti adiungantur, vt serui in gaudium domini sui admittãtur. Cœterum ornatum hunc sponsæ quo tam speciosa in conspectum Dei venit, ex se non habet ecclesia, sed à Christo omnem suam iustitiã, sapientiam, sanctitatem mutuatur, quibus ornata omnes reginas splendore, ac pulchritudine vincit. Donec autem celeberrimus iste nuptiarum dies aduenerit, hîc in terra peregrinatur magna eius pars, quæ has tamen dotes interim fide possidet, tandem verò eas in solidum perpetuò obtinebit.

Vers. 3. ¶ *Et audiui vocem magnam è cœlo dicentem.*

QVOTIES in scripturis vox siue auctore audita refertur, vt sæpe ante obseruauimus, innuitur eam ab ipsa Dei maiestate immediatè profectam, & maxima cum attentione suscipiendam. Hîc autem vox magna, id est, sonora cœlitus demissa, omnes sensus nostros ferire, & ad diligentem animaduersionem componere debet.

„ *ECCE tabernaculum dei cum hominibus. &c.* Vmbratile li-
„ cet fuerat vetus tabernaculum, maxima tamen Israelis gloria dicebatur, & incomparabilis thesauri loco, ab omnibus pijs reputabatur. Quod tamẽ vix erat scabellum pedum eius, vt Ieremias vocat. Thren. 2. Multò autem illustriora presentiæ suæ signa exhibuit Christus in ecclesia, quẽadmodũ pollicit° est, se futurũ nobiscũ vsq; ad cõsummationẽ sæculi, sed tũ demũ verè cõstabit fruct° huius cõiũctionis, cũ æternũ tabernaculũ deus figet cũ hominibus.

„ *ET habitabit cũ illis. &c.* Quãuis tabernaculũ & arca fœ-
„ deris erant apud Israelitas, nõ tamen semper habitauit cum

cum illis deus, quippe sceleribus eorũ infẽsus, vt canit psalmographus, non rarò deseruit habitationem, quã elegerat inter homines. Cum verò hæc tempora aduenerint, nulla erunt peccata, nec aliud quicquam quod nos ab ęterno Dei consortio & cohabitatione segregabit, erimus enim peculiaris illi populus, quem semper pro plebe sua agnoscet, & nos vicissim ei toti adhęrebimus..

ET deus ipse, erit cum illis deus eorum. &c. Magna est emphasis singularum pœne vocum, ipse inquit Deus erit cum hominibus, amantissimus eorum Deus. Quæ igitur Deum par est tribuere his, quos habet charissimos, ea fideles ab ipso expectare debent. Quanta vero sint, & quam magnifica quæ Deus hominibus cõcessurus sit quos sua præsentia dignabitur, & quorum deus esse non erubescet, nullius cogitatione mortalis, comprehendi, nullius lingua aut oratione exprimi possunt.

¶ *Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. &c.* *Vers. 4.*

QVI homines morti obnoxios in maximè effusa lætitia, metus ingruentium malorum sollicitat, ab illa beatorum beatissima conditione erit remotissimus. Nullus enim dolor, nulla ægritudo eorum felicitati superueniet quo minus solido inperpetuũ gaudio fruantur. Deus enim absterget omnem lachrymam ab oculis eorũ. Nam è maximis ærumnis ac calamitatibus ereptos, ineffabili consolationis lætitia perfundet.

ET mors non erit amplius. &c. Quicquid malorum inuexit secum peccatum, id omne abolito peccato, prorsus auferetur. Peccati igitur stipendium, mors cũ sit, in hijs qui per Christum peccatum vicerunt, locum non habebit. Christus enim non sibi sed suis de morte triumphum egit, qui igitur per Christum resurrectionis à morte participes erunt, in hos mors amplius non dominabitur. Immortali igitur gloria & felicitate fruentur, quicunque ad eius regni communicationem vocantur.

NEC dolor. &c. Vitæ in æternum protrahendæ beneficium non tantũ esset, si luctu ac doloris acerbitate

vt hæc noſtra fragilis, ſubinde afficeretur. Exprimit igitur vox cœleſtis, nominatim, doloré omné ac luctũ ab ea vita penitus exulare, ne quicquam omnino ſit quod perpetuæ felicitatis gloriam contaminare vel obſcurare valeat.

„ „ NEQVE *clamor vel vociferatio. &c.* Exprimit nobis nõ „ „ rarò dolorum acerbitas præter lachrymas, querulas etiam voces & lamentabiles ploratus. Quemadmodũ omnibus animantibus quæcunq; ſaltem vocẽ ędunt, à natura tributum eſt, vt cum grauius læduntur, ac doloré perſentiſcunt: ſtatim miſerabiles euilatus emittant, quibus procul dubio, diuinũ auxiliũ, ſuo more ſuis doloribus implorant. Tum verò cum cauſa omnis quæ doloré ac ęgritudinem afferat omnino tolletur, nuſquã plorabundi clamores, lamẽta, vlulatus, audientur, ſed omniũ creaturarũ (quotquot nimirũ in glorioſam filiorum Dei libertatem aſſerentur) vna vox erit lætitiæ, Deum ob infinita beneficia laudantium & ſibi inuicem gratulantium.

„ „ NEQVE *labor. &c.* Sine labore ac moleſtia nihil pul„ „ chrum aſſequimur in hac vita, & hæc pars eſt ſupplicij: In ſudore vultus tui manducabis panem tuũ. In illa autẽ vita, facilia paratu quæcunq; felicitatem noſtrã ornare poſſunt. Imò omnia affluenter nobis quieſcentibus, immẽſa Dei largitas perpetuò ſuggeret. Sed abſurdum videtur, cum Deus hominẽ ante lapſum, ne otio torpeſceret, horti cultura exerceri voluit, nũc reſtitutis hominibus in ampliorẽ felicitatis gradum, omnẽ laborẽ aut operis curã ab eis tolli. Sed facile eſt reſpondere, laborem omnem qui tœdium, faſtidium, aut moleſtiã, allaturus ſit, prorſus fore nullũ. Nec tamen in otiũ aut ſomnũ conijcientur beati. Quid verò reſtabit illis corpore indutis quod agant, ſuperfluũ eſt quęrere, cum in ſcriptura non ſit definitum.

„ „ QVI *A prima abierunt. &c.* Ratio eſt cur nihil eorum ma„ „ lorum quæ prius enumerauit manebunt, quia prima, nimirum vetera illa omnia abolita ſunt, in orbe vero renato, nihil horum reperietur. Nam ſicut cum peccato & propter peccatum, ingreſſæ ſunt in mundum illæ peſtes, ad hominum

minum improbitatem vlciſcendam, ita cum corruptibilis huius mundi figura trãſierit, illæ etiam deſtruentur, nec locum inuenient in futura beatitudine.

¶ *Et dixit qui ſedet ſuper thronum. &c.*

VT horum omnium apud fideles ſumma conſtaret certitudo, introducitur Deus ipſe in throno maieſtatis ſuæ reſidens, decreũt de mundi renouatione promulgans. Ecce (inquit) noua facio omnia. Ne metus ſit à malis veteribus quæ nunc toti terrarum orbi incubant, non modo vetera illa præterijſſe, ſed noua omnia ſe conditurum ſpondet. *Vers. 5.*

ET dixit mihi ſcribe quia hi ſermones veraces ſunt & fideles &c.

Quia neceſſaria imprimis eſt eccleſiæ, diris calamitatibus miſerè afflictæ conſolatio hæc, quam parit futuræ felicitatis recordatio, non ſolum decretum hoc de mundi reſtitutione ſancit Deus, ſed illud etiam ſcriptis mandari iubet. Vt ex lectione & auditu, hauriant ſolamẽ afflictæ priorum conſcientiæ, & ob magnitudinem præmiorũ omnes labores fortiter ferant, nihil enim certius eſt, quam hoc decretum de æterna piorum beatitudine & triumpho, cuius erũt participes poſt reſurrectionem omnes illi, qui nunc ſtrenuè ſub vexillo Chriſti militant.

¶ *Et dixit mihi factum eſt. &c.* *Vers. 6.*

QVAM certam ac ſolidam velit eſſe Chriſtus hanc conſolationem ſuis, vel hinc ſatis conſtat, quod tam multis aſſeuerationibus, fixum & immobile eius decretũ ſanciat. Factum eſt (inquit) ac ſi diceret nullus iam dubitationi locus relinquitur, adeò enim certa eſt hæc felicitas, quam nũc ſpe poſsidetis, ac ſi eam manu teneretis. Nam immutabilis, ac irreuocabilis Dei ſententia, de ea lata eſt, quæ nunquam reſcindi poteſt. Huc etiã referendum eſt, quòd ſe Alpha & Omega eſſe dicit, principium & finem, id eſt, æternum Iehouam, cuius ſtabilis & in omne ævum inconcuſſa voluntas hoc ſtatuerit, qui nec fallere poteſt nec falli, cuius ſermo quamuis cœlum & terra prætereant, nunquam excidit, ſed in perpetuum manet. Hinc igitur petant fideles vbertimam conſolationis materiam, quoties eorum fidem ſuis

machinis labefactare diabolus nititur, ne ad repositam illis in cœlo mercedem respicientes, inanes omnes mundi pompas fortiter contemnant. Quin potius omnes labores, cruces, ignominias, æquo animo perpetiantur, quibus tam indubitata recondita sit in cœlestibus gloria, beatitudo, & sempiterna felicitas.

" *EGO sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis. &c.* Quia neces-
" se est piorum animos, mirum in modum affici desiderio huius præmij, neque hæc audire aut legere possunt, quin statim iucundissimos æternæ vitæ latices auidissimè sitiant. Ecce se obuium offert quærentibus Christus, qui omni sitienti potum è limpidissimo vitæ æternæ fonte liberalissimè propinat. Quid igitur deest felicitati sanctorum? cuius si desyderio tangãtur, gratis fient cõpotes. Nulla hîc meritorum ratio, donum enim Dei est vita æterna, non merces operibus debita, sed ex infinita eius largitate proueniens, qui eam donat. Damnatur interim eorum stupor, & ignauia, qui toti mundanis sordibus inuoluti, & voluptatibus huius sæculi plus quam ebrij, vitam æternam nunquam sitiunt, sed susque deque habent, quicquid de paradiso, noua Hierusalem, fonte aquæ vitæ, aut similibus præmijs è scripturis audiunt. Hi quia non sitiunt aquam vitæ, bibent ex mero impermixto, iræ diuinæ, & æternis cruciatibus velut mundi ac diaboli mancipia subiacebunt.

Vers. 7. ¶ *QVI VINCIT hæreditate possidebit omnia. &c.*

NE hæc tam ampla felicitatis præmia, otiosis ac socordibus proposita esse putemus, indicat certandum nobis esse, idque fortiter, vt victores euadamus, tum demum omnium rerum hæreditas, nobis ex testamẽto Christi quod sanguine suo obsignauit competet. Et si Abrahæ filij per fidẽ censeamur, mũdi renascẽtis hæredes cũ eo cõstituemur. Sed quod omnia superat, filiorũ Dei hæreditatẽ adibimus. Nec enim hæreditatẽ minus amplã aut locupletẽ expectare debemus, quàm conuenit Deũ filijs suis quos in vnigenito adopta-

adoptauit, assignare. Etimus quippe hæredes Dei, cohæredes Christi.

¶ *Timidis verò & incredulis &c.*

NE impij semper sibi securè placeant in suis sordibus, omnesq; amicas admonitiones contenant, horribiles ipsis, ac æternas pœnas denunciat. Quibus non solum intollerabile supplicium erit excludi ab hac felicitate, sed in grauissima insuper inferni tormenta conijcientur. Cæterum enumerat aliquot tantum impiorum species, sub his tamen omnia iniquitatis genera complectens. Timidos vocat, qui homines magis quam deum timent, quos pudet nominis Christi, metu eorũ malorum, quę ab hominibus ejs infligi possunt, quæ si grauissima sunt, mortem tantũ corporis adferunt, interim verò non verentur eius causam prodere, qui corpus & animam conijcere potest in gehennam. Incredulos vocat, qui Euangelij doctrinam amplecti nolunt, nec enim præsentia pro futuris amittere sustinent, pro fabula habent, quicquid de vita æterna, aut Christo eius auctore dicitur. Execrabiles vel abhominabiles dici possunt, qui excusso omni timoris Dei iugo, ad omnem nequitiam proruunt, quasi in contumeliam Dei facerent omnia. Hij etiam qui cædibus, adulterijs, incantationibus, cæterisque impietatibus, sese prostituunt, nec pœnitentiam scelerum suorum tempestiuè agunt, in idem tormentorum barathrum detruduntur. Quin & Idololatræ, qui creaturam corruptibilem pro creatore incorruptibili colũt, meritas suę impietatis (nisi maturè resipiscant) pœnas dabunt. Prostremò mendacibus omnis generis, maximè verò hypocritis, qui simulata sanctitatis larua, Deum & homines se fallere putant, sors erit in lacu ardente igne & sulphure, quæ est secunda mors, quam animæ & corporis æterna supplicia comitantur. *Verſ. 8.*

¶ *Et venit ad me vnus. &c.*

HACTENVS beatorum conditionem post resurrectionẽ generatim depinxit, nunc quibus visionibus hæc edoctus sit, sigillatim ostendit. *Verſ. 9.*

QVI *habent septem phialas & c.* Nihil absurdi est, eundem an-

gelum ministrum esse iræ diuinæ in reprobos, & consolationis nuncium, ad pios destinatum. Vnus etiam ex his septem angelis cap. 17. magnæ meretricis Babylonis damnationem ostendit, vnus item ex eodem numero, castissimæ Christi sponsæ Hierosolymæ descriptionem adfert, verum an idem sit cum priore, nihil nostra refert scire.

„ OSTENDAM tibi sponsam uxorem agni. &c. Iam olim de-
„ sponsauit Deus ecclesiam filio suo Christo, nunc autem toto mundo suo adornata, ad nuptiarum solemnitatem se parat, vt Christus eam vxorem ducat in domum patris sui, hoc est, in cœlestem gloriam, vt fruatur ipsa omnibus bonis mariti sui, quæ adhuc sponsa per fidem tantum possidet.

Et abduxit me in spiritu ad montem magnum & excelsum. &c.

Vers. 10. LONGE à terræ centro & infima superficie in excelsum valdè montem animis abduci debent, qui spectatores futuri sunt huius suauissimæ visionis. Simul indicat Ioannes, se in locum editum fuisse sublatum, & in sublimi constitutum, vt inde velut è specula, vniuersam nouæ Hierosolymæ figuram, situm, positionem, contemplaretur.

„ ET ostendit mihi ciuitatem magnam sanctam Ierusalem &c. Ma-
„ xima licet fuerat in terra omnium ciuitatum Babylo, hoc est ecclesia Antichristi, & sua magnitudine superbiens: Ierusalem verò exigua & contemtibilis, vtpote peregrina in hoc mundo, post tamen orbem renouatum, collectis in vnum omnibus eius membris, ampla & magnifica ciuitas conspicietur. Est hæc prima laus ciuitatis à magnitudine, quod ad omnes ciues suos capiendos, & ad commodam vnicuique habitationem, sua magnitudine sufficiat. Secundò sanctam dicit, non modo respectu prophanæ meretricis & impurissimæ ciuitatis Babylonis, sed etiam sui ipsius, dum in terra peregrinaretur. Tum enim tota speciosa erit sine vlla ruga, aut macula, à qua perfectione nunc longè multumque distat. Hierosolyma appellatur, propter illustres promissiones, quæ de perpetua eius duratione extant, quarum complementum

ad

ad hæc tempora pertinet.

DESCENDENTEM è cœlo à Deo. &c. Deus ipse omnium opifex, architectus est huius ciuitatis, quam non ex elementari & sublunari aliqua materia fabricauit, sed cœlesti & æterna gloria adornauit. Hæc sedes parata est, requies omnium laborum fidelibus, & post duras peregrinationes, stabilis mansio deputata est.

¶ Habentem gloriam Dei. &c.

IPso splendore & ornatu testatur hæc ciuitas, suum architectum, relucet enim in ea admirabilis Dei gloria. Ita vno verbo, gloriam eius quæ per se est nostris linguis ineffabilis, dixit. Quia vero noster intellectus, non aliter potest cœlestia complecti, quam similitudine earũ rerum, quæ sensibus obijciuntur: gloriam eius hijs rebus quæ inter homines sunt precioſisſimæ & pulcherrimæ comparat, nimirum auro, gẽmis, margaritis. *Vers.* 11.

SPLENDOR eius similis lapidi pretiosissimo quasi Iaspidi Chrystallizanti &c. Obseruandũ est primo nihil in hoc mũdo repetiri posse tantæ pulchritudinis ac splendoris, quod huius ciuitatis gloriam vel adumbrare mereatur. Quare nõ simpliciter eius splendorem Iaspidi aut Chrystallo comparat, sed fingit quiddam, & illius virorem ac varietatem pulcherrimam, & huius transparentiam clarissimam continentem, quę gemma maximi sit etiam pretij, cum viles sint inter homines Iaspis & Chrystallus. Primus igitur ciuitatis huius aspectus si totam simul contemplemur, admirabili splendore gratissimus est. In qua Smaragdin⁹ ille vir⁹, pulcherrima colorum varietate distinctus (qua superat Smaragdum Iaspis) florentem semper & omnium rerum beatissima copia affluentem ciuitatẽ promittit. Clara verò ac pellucida Chrystalli perspicuitas, omnes obscuritatis ac tenebrarum angulos tollit, omnia denique quam primum intuearis, vt pulcherrima, ita pretiosissima appareant.

¶ Habentem murum magnum & altum. &c. *Vers.* 12.

NON modo propugnacula, sed etiã ornamẽta sũt celeberri-

vrbibus mænia. Probè itáque munita est hęc ciuitas, & pulchrè etiam adornata muro magno ac præalto circundata, qui & ciues tueri, & hostes arcere facilè possit.

HABENTEM *portas duodecim. &c.* Laudatur in situ vrbium, quod sint εὐσπροσοδοι hostibus, υπροσοδοι ciuibus. Vt igitur murus ab ingressu coercet hostes, ita portæ duodecim ciues & amicos vndiq; aduētantes suscipiunt. Et vt metus absit, ne hostis in portas aliquādo irrumpat, collocantur totidem angeli, singuli singulis portis custodes, qui vt conciues omnes agnoscūt, ita aduersarios insidiatores deprehendent, atque ab introitu prohibebūt. Singulis autem portis, nomina duodecim tribuū quasi trophæa, in sculpta sunt, quo significatur vniuersum electorum numerū in corpus Israelis insitum, ius huius ciuitatis habere, neque à libero eius ingressu excludi debere.

¶ *Ab oriente portæ tres, à Borea portæ tres &c.*

Vers. 13. QVEMADMODVM mittet angelos Christus qui congregabunt electos ab omnibus mūdi plagis Math. 24. ita ad suscipiendos ab omni parte venientes incolas, portæ ciuitatis huius cœlestis patent. Non igitur timenda sunt lōgissima exilia, quæ in hac terra ciues cœlestis Hierosolymæ perferre sępenumerò coguntur. Ab omni mundi plaga, via aperta est ad patriam redituris, à qua nunc peregrinantur. Nec refert in quo orbis angulo quisque piorum habitet, nā à qualibet mūdi regione, ad hanc ciuitatatem iter instituere potest, & in eam admitti,

¶ *Et murus ciuitatis habebat fundamenta duodecim. &c.*

Vers. 14. MVRVS qui vniuersum ciuitatis ambitum cingit, vrbēq; ab aduersarijs vndique munitam reddit, id est, sacrum illud vnitatis vinculum, quo colligatur vniuersa ecclesia, & ab errorum & ignorantię pernicie defenditur: ædificatur super fundamenta prophetarum & Apostolorum, Iesu Christo angulari lapide. Nā sub Apostolorum nominibus, prophetæ etiam comprehenduntur, quatenus eadē est prophetica & Apostolica doctrina, Apostolica vero multò clarior & illustrior, Quare si vnitatem ecclesiæ colimus, his fundamē-

tis eam

tis eam niti oportet, si propugnaculũ aduersus hæreses quærimus, hic murus aheneus esto, ne latum quidem vnquam ab Apostolicis fundamentis discedere.

¶ *Et qui loquebatur mecum habebat auream arundinem qua. &c.*

ALIBI vidimus nempe cap. 11. in quẽ vsum dominus ciuitates metiri dicitur, nimirum, quas ædificare & non destruere velit. Angelus igitur aureo calamo mensus est ciuitatem hanc, vt significet eam perpetuò extruẽdam à Domino. Et obseruandum est, quod cap. 11. Iussus sit Ioannes metiri templum & adorantes in eo, quia tum Deus hominum opera vsus est, ad ædificandũ ecclesiã, hæc vero cœlestis ciuitas, cœlesti tantum architectura extructa est. Instrumentũ quo vtitur angelus, est aureus calamus, quo excellentia operis & artificij diuini, adumbratur. Repetit vero singulas partes, vrbem, portas, murum, vt nihil ad ęternam eius durationẽ nec lectum videatur. *Vers.* 15.

¶ *Et ciuitas in quadro posita est, & tanta est longitudo eius quanta latitudo. &c.*

SEQVITVR iam forma & mensura vrbis. Est autem forma eius stabilissima, nimirũ quadrata & cubica, cuius formæ propter immobilitatem quidam veterum terram putabant. Præterea ex hac forma discimus nihil terrenum imaginari de hac ciuitate, nullius enim vrbis tãta est altitudo quãta latitudo, aut longitudo. Mensura si magnitudinem reputemus, quæ est stadiorum duodecim millia. i. 1500. mille passus, amplitudinem & capacitatem ciuitatis commendat, quæ satis magna sit, ad commodam omnium ciuiũ habitationẽ. Si numeri proportionem spectemus, pucherrimam illã symmetriam, quam sæpissimè in duodenario numero expressam notauimus, eleganter complectitur. *Vers.* 16.

¶ *Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum. &c.*

MENSVRA etiam altitudinis muri, tum in cõtinua, tum in discreta quantitate notãda est. Summa enim eius altitudo declarat satis tutum esse ciuitati propugnaculum aduersus *Vers.* 17.

uersus omnes hostium machinas. Numerus autem, 144, ex duodenario in se multiplicato assurgit, de quo quid sit colligendū alibi exposuimus. Sed ne in hac mensura, pro corporum nostrorū modulo, cubitos metiamur, indicat Ioannes, nō hominum sed Angeli cubitos fuisse, qui humana quidem specie apparebat, sed augusta magnitudine & supra humanam præcellebat.

Vers. 18. ¶ *Et structura muri eius erat Iaspis. &c.*

EX duodecim fundamentis, assurgit structura muri, pulcherrimæ Iaspidis splendori & varietati comparanda. Vt enim Iaspis varios omnium gemmarum colores in se cōtinet, ita ex duodecim illis gēmis pretiosissimis, quæ omniū Apostolorū doctrinā significant, murus hic cōstructus, & pulcherrima compositione compactus esse videtur.

ET ciuitas aurum mundum similis vitro mundo. &c. Muri pulchritudini respondet totius ciuitatis structura, quæ est ex auro purissimo tota fulgens & coruscans, & quod pulchrius est, vt vitrum clarissimum translucida. Nulla terrestris gloria huic conferri potest. Hunc igitur splendorem nec lecto crassi huius metalli colore, quod apud nos pulcherrimum est, concupiscamus. Aurum enim cœleste pellucidum est.

Vers. 19. ¶ *Et fundamenta muri omni lapide pretioso. &c.*

SCIMVS duodecim gemmas in pectorali Aaronis totidem tribus designasse, hîc vero prius admoniti sumus, duodecim fundamēta habere duodecim apostolorum nomina inscripta, qui sunt duodecim ecclesiæ patriarchæ, tam ex Iudæis quam gentibus collectæ. In his varia & pretiosa sunt Dei dona, sed ad vnius templi ædificationem collata. Si quid igitur in gemmis splendidum ac pretiosum, si qua virtus ac pulchritudo est, ea oīa in his fundamentis abundè reperientur. Homines exigua gemmarū frustula magni æstimant, quæ igitur diuitiarum ostentatio vbi maxima mæniorum fundamenta, ex integris gemmis constant. Subtilius autem de singularum gemmarum, coloribus, ac proprietatibus differere, magis argutum quam solidum mihi videtur

videtur. Breuiter igitur & sobriè de illis omnibus disputare malui, quàm subtiliter & curiosè.

¶ *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt. &c.*

ADMIRABILIS portarum pulchritudo depingitur, quæ constant singulæ ex singulis margaritis. Quantula portiò harum portarum fuit vnio ille Cleopatræ, tantopere celebratus inter scriptores si ad hanc magnitudinem conferatur? Omnia hæc ad magnificentiam & splendorem huius vrbis describendam pertinent, sub cuius figura suauissima & beatissima piorum cohabitatio, cum Deo, quæ post resurrectionem futura est, adumbratur. *Et platea ciuitatis aurum mundum vt vitrum pellucidum.* Quanta pulchritudo & magnificentia, quantæ opes & quam preciosa supellex sit reliquarum vrbis partium, vel ex eo coniecturam facere possumus, quòd ipsa etiam platea ciuitatis, cœlesti illo ac pellucenti auro strata sit. Has qui diuitias animo conceperit, facilè contemnet exiguam illam pompam auri, gemmarum, margaritarũ, quã vel potentissimi Monarchæ vnquam ostentare potuerunt. Neque illi potest esse grauis paupertas, cui persuasum est tantos thesauros diuitiarum in cœlo esse reconditos. *Vers.* 20.

¶ *Et templum non vidi in ea. &c.* *Vers.* 21.

PRÆCIPVVM ornamentum veteris Hierosolymæ erat templum Salomonicum. Huius autem cœlestis, templum nulla pars est, sed tota ciuitas Dei & Christi templum est. Imò Deus & Christus eius templum dicitur, cuius præsentia per totum ecclesiæ corpus diffunditur. Religio enim sacta & cultus Dei, non in vnum aliquem angulum aut vicũ competit, sed in totam vrbem, quæ sedes erit Dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Quã sine externis præsentiæ suæ sacramẽtis, re ipsa illi adhærentes, non in speculo aut ænigmate, sed palã & perfectè agnoscemus. Militat autem hic locus, contrà impuros canes, qui Christi diuinitatem abnegant. Nam cui æqualis cum Deo templi gloria congruit, non potest esse alius ab æterno Deo, Christus autem cum Deo omnipotente templum est beatæ ciuitatis, & pari cum patre honore colendus, est igitur Deus omnipotens. Quod etiam in ecclesiæ

adhuc

adhuc peregrinanti in terra se præstat, cui suam præsentiam ad mundi vsque consummationem promisit. Non enim in templo manu facto, quale erat illud Salomonis, Deus habitat sed vbique per totam ecclesiam, præsentia illius bonitatis se effundit. Quanquam nũc imperfectè eum videmus, vbi vero hæc tempora aduenerint, sublatis omnibus symbolis & quibuscunque mediis videbimus eum qualis est, & cognoscemus eum quemadmodum cognoscimur illi.

¶ *Et ciuitas non habet opus sole aut luna. &c.*

Vers. 23. QVI D opus esset sole aut luna? vbi finguli iustorum fulgebunt sicut sol, vbi inquam gloria Dei & splendor Christi palam se ostendet. Siquidẽ sol & sydera quasi per rimulas quasdam cœli, vix exiguas diuinæ gloriæ scintillas nobis visendas exhibent. Vbi autem diuinæ glorię participes erimus, obscurus videbitur solis aut lunæ fulgor. Alludit autem spiritus sanctus, ad ea quæ Isaias capite 60. de instauratione ecclesiæ vaticinatur.

¶ *Et gentes quæ seruantur in lumine eius ambulabunt. &c.*

Vers. 24. TERRESTRIS Ierusalem gentes omnes tanquam profanas abominabatur, cœlestis vero in Christo purgatas & sanctificatas, tanquam ciues suos agnoscit, & in suæ felicitatis participationem non inuita admittit.

ET reges terræ portabunt gloriam & honorem ipsorum in eam. &c.

Non vulgus modo gentium suscipietur, sed ipsi etiam reges, gloriam suam in ea deponent, & æquali forte viuent cum reliquis, non quod aliquid gloriæ ipsorum decedet, erunt enim omnes reges qui sunt futuri regni cœlestis participes, sed quia, si qua est regibus gloria, ea communis erit omnibus pijs. Non igitur excluduntur reges & magistratus ab cœlesti ciuitate, vt Anabaptistæ somniant.

¶ *Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit ibi. &c.*

Vers. 25. TVTI & securi viuũt in ea ciuitate, nihil enim hostile metuunt, qui portas nunquam claudunt. Et vrbes quidẽ in terra, nisi obsidione premantur portas interdiu nõ claudũt, nocte verò propter subitas incursiones obseruantur. Vbi vero

nulla

nulla nox est, sed dies perpetuus, ibi perpetuò patet portæ. Nõ enim obsidionem aut repentinam expugnationem timent ciues, Dei opt. max præsidio muniti.

¶ *Et portabunt gloriam & honorem gentium in eam. &c.* Vers. 26.

NE quid desyderare possimus, quod nobis in hac vita iucundum aut glorioſum videtur, ostẽdit omnem gentium gloriam, in hanc ciuitatem esse coaceruandam. Non quòd aliquid accedere possit ad Dei gloriam illustrandam, quæ per se est summa, sed quia hęredes mundi, & omnium bonorum erimus.

¶ *Et non introibit in eam quicquid contaminat. &c.* Vers. 27.

QVAMVIS portæ semper pateant, nunquam tamen patebit ingressus reprobis, quia omnia fero contactu suo polluunt, quique detestanda flagitia perpetrant, gaudenque mendacijs & hypocrisi, sed electis tantum Dei seruis & in sanguine Christi sanctificatis. Obseruemus hîc sanctificationem, ab æterna Dei prędestinatione non posse seiungi. Nec enim scripti sunt in libro vitę qui semper mendacijs & sceleribus indulgent, de vitæ nouitate nunquam cogitant.

Caput vicesimum secundum.

AETERNÆ BEATORVM FELICItatis perpetua stabilitas, per fontem aquæ vitæ perennem, & feracem omnibus mensibus arborem vitæ depingitur initio huius capitis. Sequitur dein prophetiæ istius conclusio, cui auctoritas asseritur, tam ab illius persona qui eã dictauit, quam ab illius qui eam excepit.

¶ *Et ostendit mihi fluuiũ purũ aquæ vitæ pellucidũ vt chrystallũ.*

SATIS beata videri poterat hominis conditio, cum statim à creatione in horto Eden omnibus voluptatum delicijs refertissimo collocatus esset. Sed exiliũ eius quauis morte erat acerbius. Nã fuisse felicẽ miserrimũ est. Sed in cœlestẽ Vers. 1.

hanc

hanc paradisum postquam erimus recepti, à summæ beatitudinis fastigio nunquã deijciemur, nec enim peccatum, nec cicchio, nec mors, metuenda sunt. Quare refert Ioannes ostensum sibi fuisse ab angelo mystagogo, fluuium lympidissimum aquæ vitæ, splendidum vt Chrystallum, profluentem à throno Dei & agni. Habebat quidem terrestris illa paradisum, fluuium aquæ saluberrimæ, qui hortum vndiq; irrigaret & rerum omnium quæ ad vitam beatam requiruntur fœcũdissimum redderet. Gene. 2. Longè tamen amœnior, ac salubrior fons ille aquę purissimæ, quem è templo scaturientẽ vidit Ezechiel cap. 47. quo ecclesiæ instauratio describitur. Hic vero fluuius, nõ è terra, nec è tẽplo Hierosolymitano, sed ex ipso Dei omnipotentis & Christi eius solio effusus, æternæ vitæ gaudia, nouę Hierosolymę ciuibus affluentissimè ministrat. Nunquã igitur mors illis metuẽda est, qui ex fluuio aquæ vitæ quotidiè bibent. Nec dolor aut molestia vlla illis accidere potest, qui ex purissimis ac quauis Chrystallo splendidioribus fluuij istius laticibus, hauriunt. Opponitur enim puritas ac claritas huius aquæ, turbidis illis fluminibus ac limosis fontibus, ex quibus miseri homines sitim suam restinguũt, & varijs subinde calamitatibus & ægritudinibus sunt obnoxij Nihil enim purũ ac syncerum gignitur in terra. Vtinam igitur lutulentas & inamœnas huius sæculi aquas fastidiremus, quo maiore ac feruentiore studio, vt ceruus ille Dauidicus, Solis ardore, cursu, ac veneno, æstuans, ad cœlestes aquas anhelaremus. Porrò cum à throno Dei & Christi, profluere hæc aqua dicitur, admonemur vitam æternam à solo Deo in Christo Iesu nobis reconciliato, ad nos vsque dimanare. Prætereà abundè refellitur Arrianorum insania, qui parem Christo dignitatem cum patre inuident, cum idem hic dicitur Dei patris & Christi filij eius thronus, quare eadem est gloria, maiestas, & potentia. Thronus enim symbolum est gloriæ & maiestatis diuinæ.

¶ *Et in medio plateæ eius. &c.*

Vers. 2. IN paradiso terrestri, vnica erat arbor vitæ, in medio horti, quæ Sacramentum & pignus erat vitæ beatæ, ac æternæ si

in

in obedientia Dei perſiſterent. Cum autem homo eiectus eſſet ex horto, ſimul priuatus eſt vitæ æternæ ſymbolo. Gen. 3. Poſtquam verò in cœleſtem illam beatitudinem ſuſceptus fuerit, ex fructu arboris vitæ comedet inperpetuum. Omnibus enim ciuibus nouæ Hieroſolymæ, acceſſus patebit ad arborẽ vitę, quę non in vno tantum vrbis angulo, ſed in medio foro, in vtraque fluminis ripa feliciſsimè proueniet. Et ne viciſsitudinem hiemis atque æſtatis, qualis apud nos eſt, metuamus, quilibet mẽſis, autumnus erit, & ſuauiſsimorum fructuũ copiam ſubminiſtrabit. Quòd ſi varietas etiam ſuam habet gratiam, tanta erit, vt tædium aut faſtidium cibi nunquam obrepere poſsit. Singuli enim menſes nouis fructuum diuerſorum delicijs exuberabũt.

ET folia arboris ad ſanitatem gentium. &c. Non dubium eſt quin arbor hęc Chriſtum repræſentet, cuius virtute omnia gentium vulnera morbique ſanantur. Sed operæ pretium eſt expẽdere, quantum ſit in ipſo fructu momentum ad vitam æternã, cum folia arboris ad tam multiplices eoſque mortiferos gentium morbos ſanandos ſufficerent. Sed cur folia gentibus potius quam Iudæis ſanandis attribuũtur, cum ex æquo omnes perierint & medicina opus habeant? Certum eſt primum locum, vbique tribui Iudæis, propter fœdus Dei cum Abrahamo percuſſum, quos tamẽ ſuo ordine ſequuntur gentes. Communis enim omnibus ſalus eſt Chriſtus, quãq; primo loco Iudæis ac deinde gentibus. Nec male congruet, ſi dicamus folia arboris ſumi pro ſpe vitæ æternæ, quam ex euangelij promulgatione concipimus. Vt enim folia & flores nunquam decidui, promittunt fructus tempeſtiuos, ita per fidem euangelij, ſpem vitę æternæ habemus certiſsimam, cuius fructum cum apparuerit ille noſter redemtor percipiemus vberrimum. Alludit autem Ioannes ad Ezechielis prophetiam cap. 47. vt prius diximus. Quis autem vel milleſimam partem huius felicitatis beatorum ciuium animo comprehendere valeat? Si quæ ſunt vrbis delicię, vrbem habitant omnim voluptatum affluentiſsimam, ſiqua ruris amœnitas, in vrbe media fontium

tium animumque ſcaturigines nemorumque vmbræ gratiſsimæ oblectant. Vt quicquid de Heſperidũ hortulis, aut campis Eliſijs fabulati ſunt poetæ, etiã ſi verũ eſſet, ne vmbra quidem huius felicitatis dici mereatur. Ferreum igitur pectus eſſe oportet, quod nullo eius deſyderio tangatur.

¶ *Et omne maledictum non erit amplius. &c.*

Verſ. 3. BEATISSIMAM hominis in paradyſo terreſtri conditionem, excepit paulò poſt miſerrima totius mundi execratio, ita felicitas ſumma, in extremam calamitatem ſubitò mutata eſt. In cœleſti vero paradyſo, nulla amplius metuenda erit hominibus maledictio, quæ beatitudinis ſtatum perturbet. Erit igitur pijs gaudium ſolidum ac perpetuum. Præterea quàm horrendas execrationes lex fulminat in ſui tranſgreſſores, plus ſatis notum eſt. Hæc tamen omnia maledicta ſuſtulit, benedictum illud Abrahæ ſemen, in quo benedicuntur omnes gentes terræ. Nam cum maledictio ſit ſententia vltionis diuinæ in peccatores, ſublato per Chriſtũ & abolito peccato, tollitur etiã omnis maledictio diuina, & cum maledictione omne malorum genus, quod miſeros mortales varijs tormẽtis affligit. Rectè igitur cap. 21. verſ. 4. lachrymæ, mors, dolor, labor, clamor ab vrbe noua Hieroſolyma exulare dicũtur. Hic locus etiã accendere debet in nobis, deſyderiũ deſerendi hunc mundũ, tot maledictionibus Dei propter ſcelera obnoxium, & vt ad illum beatorum numerum aggregari optemus qui abſque vllo maledicto perpetua felicitate fruuntur.

„ „ *ET thronus dei & agni in ipſa erit. &c.* Ratio eſt cur ad eam „ ciuitatem nulla execrationis malitia penetrare poſsit, quia thronus Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, eã ab omni maledictione immunem tuetur. Nam cum maledictum vt ſupra notauimus ſit iræ diuinæ executio, deus his ſe oſtẽdit pacatum, in quorũ medio thronum magnificentiæ ſuæ collocare dignatur. Agnus verò ille ab origine mundi occiſus, qui commune habet cum Deo patre diuinę maieſtatis

thronum

thronum, is est, qui medium se interponit, ad homines è maledictionis barathao extrahendos, & sanguine suo purgatos, in Dei præsentiam adducendos.

¶ *Et serui eius ministrabunt ei. &c.*

ALIA ratio subiungitur, cur nullum amplius erit maledictum. Nempe quia serui dei, domini sui præceptis post hac non erunt immorigeri, sed perfectam ei obedientiam præstabunt. Non erit igitur supplicium, vbi non erit transgressio legis. Cæterum non impediet seruitus ista, quominus etiam cum Christo capite nostro regnemus. Non enim coacta subiectio erit, qualis in tyrannide cernitur, sed voluntaria submissio, qualis est filiorum patri, sub quo nihilo minus bene & beatè viuent. Quin & per se omnibus mundi regnis gloriosius est imperium, Deo debitum obsequium præbere Iuxta illud: seruire Deo est regnare. Frustrà igitur superbi homines, fastu & arrogantia elati, omnina sibi subijcere conãtur, cum ipsi interim Deo rebelles inueniantur, qui se superbis opponit, humiles tantũ gratia sua dignatur. ¶ *Et videbunt faciem eius. &c.* *Vers. 4.*

GRATISSIMVS est dei conspectus omnibus qui eum syncero pietatis affectu diligunt, & in eo Dauid satietatem lætitiarum collocat. psal. 16. Quia Deo propitio nihil ad plenum fælicitatis cumulum deesse potest. Et Paulus ad Cor. 13. de glorioso illius vultus intuitu magnificè disserit. Denique sexcenta sunt testimonia scripturæ, quibus in benigno Dei aspectu, omnia fausta ac iucunda promittuntur. Quem non vt iam, tanquam in speculo aut ænigmate, sed facie ad faciem, summa cum voluptate contuebimur.

ET *nomen eius in frontibus eorum. &c.* Habent etiam nunc nomen Dei in frontibus scriptum, quos dominus pro suis agnoscit, & pro suis cognosci vult inter homines, sed nondũ apparet quales erimus. Postquàm vero apparuerit similes ipsi erimus, quia videbimus eum sicuti est. 1. Ioan. 3. Tum sanè quæ merces reposita sit fidis Dei seruis liquidò constabit.

¶ *Et nox non erit ibi nec opus habent lucerna aut lumine solis. &c.*

Vers. 5. IN dei præsentia apud quem nulla est claritatis obumbratio, nulla erit noctis ac diei vicissitudo. Sol iustitiæ & gloriæ nunquam occidit huic vrbi, vt supra etiam ostendendit Angelus cap. 21. ver. 23. &. 25.

„ *ET regnabunt in sæcula sæculorum. &c.* Iam clarè exprimit nō
„ pugnare seruitutem filiorum Dei cum regno, quod illis promissum est. Simul vno verbo, omnem eorum felicitatem complectitur, quòd regnabunt in æternum. Hoc loco abundè refutatur chiliastarū insciti, quia non mille annis sed perpetuò regnabunt electi, satisque indicat illos mille annos cap 20. aliter exponendos, quam de beatorum conditione post hanc vitam.

¶ *Et dixit mihi hi sermones. &c.*

Vers. 6. SEQVITVR iam prophetiæ huius conclusio, in qua auctoritas & reuerentia doctrinæ huic, multis modis conciliatur: Primum prefatur Angelus mystagogus, sermones hos veros esse, & fide dignos, quod cum semel atque iterum antea fecerit, nunc potissimum ad spem præmiorum cœlestium in nobis augendam præstat. Scimus enim quam ægrè mens humana, à præsentium rerum intuitu, siue prosperæ sint, siue aduersæ, se auelli patitur, vt spes nouas vitæ futuræ concipiat foueatque. Repetit igitur Angelus, hæc promissa ab eo profecta esse qui fallere non possit, vt necfalli, quare de fide & veritate eorum, sine graui eius iniuria ambigere non possumus.

„ *ET dominus deus sanctorum prophetarum.* Idem ille deus qui
„ per os omnium veterū prophetarū, quorum sanctissima est in ecclesia auctoritas loquut⁹ est auctor est hui⁹ prophetiæ. Non igitur minore reuerentia amplecti eam conuenit quàm sanctissimorum prophetarum oracula, quorum exitus fidē eorū liberauit. Et ne in modo reuelationis aliquid humilius suspicaremur, Deus angelum misit, qui ostenderet seruis suis, quæ breui fieri oporteret. De qua clausula quia satis dictū est cap. 1. ver. 1. pluribus supersedeo.

¶ *Ecce*

¶ *Ecce venio cito. &c.*

AD maiorem fidē introducitur Christus ipse verba faciens, & aduentus sui tum certitudinem, tum celeritatē *Vers. 7.*
spondens, in quo effectus promissionum Dei, pijs omnibus constabit. Interim verò doctrinam huius prophetiæ, tanquam ingentem thesaurū apud eos deponit, cuius sermones si diligēter animo impresserint atque impressos seruauerint, beatissimos fore pronunciat. Nec enim imminentia ecclesiæ pericula incautos aut imparatos oppriment, nec fides eorum vllis tentationū procellis obruetur, nec pestiferis Antichristi imposturis eorum simplicitas capietur, & in media morte nutrient spem vitæ beatę certissimam, cuius demum in aduentu Christi fructus sese palā exeret, ad felicitatem illis perpetuam stabiliendam.

¶ *Et ego sum Ioannes qui vidi hæc. &c.*

NVNC à sua ipsius persona auctoritatem ac fidem conciliat huic prophetiæ. Ne enim à fanatico aliquo Pseu- *Vers. 8.*
dopropheta aut diabolico Enthusiasta, profecta videatur: Testatur Ioannes seipsum esse, qui hæc viderit, quæ per modum visionis tradita sunt, atq; hæc audiuerit, quæ spiritus sanctus, scribenda dictauerit. Quàm celebre autem fuerit Ioannis nomen, & quàm sancta auctoritas apud has ecclesias, quarum custodiæ liber hic commissus est, satis ex historia nouimus. Quòd autem Ioannem hunc fuisse cognomēto Marcum qui Apostolis Paulo & Barnabæ ministrauit non nulli diuinant: mihi consentaneum non videtur, cum propter alias rationes, tum vel ex eo quod toties se Ioannem nominat, sine cognominis Marci additione, quod nō est verisimile ommissurū, cū hoc ad discrimē tantū valeret: propositū verò fuerit Ioāni sui nominis auctoritatē in mediū adferre. Ille vero alter Marci quàm Ioannis noīe notior fuisse videtur, quem Paulus Barnabæ cognatum vocat ad Colloss. 4. cuius etiam, ni fallor, mentionem facit. 2. Tim. 4. & in epistola ad Philemonem, quē eundem esse putant, qui Euangelium conscripserit, quod secundū Marcum dicitur.

ET *cum audiuissem & vidissem. &c.* Non dissimulat Ioan-

nes culpam suam, quod iã bis se passus fuerit propter excellentiam personæ Angelicę, ad cultum soli Deo debitũ creaturę præstandum abripi. Vnde colligi potest, humana fragilitas, ad Idololatriã procliuis, cum tantus Apostolus, semel atque iterum in eundem lapidem impingit. Prætereà obseruemus, quod genus honoris Angelo tribuit, cum in faciem procidit, propter futilem illã distinctionem de latria & dulia. Non enim pro Deo adoraturus erat Angelum, quem Angelum fuisse, non Deum, satis certò cognouit, sed reuerentiã & honorẽ quasi cœlesti creaturæ religiosè exhibere cogitauit. Quod tamen Angelus nullo modo admittit.

¶ Et dixit mihi vide ne feceris. &c.

Vers. 9. DVARVS rationibus nititur hæc prohibitio, primum quòd non æquum sit seruũ à cõseruis ambitioso honore extolli. Fatetur enim se conseruum, nec solum Ioannis, sed & omnium fratrum eius prophetarum, hoc est, Euangelij præconum, nec horum tantum, sed eorum etiam qui custodiunt sermones libri huius, id est, omnium fidelium. Deinde indignum esse, vt creatura adorationis honorẽ, qui deo soli proprius est, ad se rapere tentaret. Nec dubium est, quin in eadem sententia sint omnes diui vita functi, vt oblatos sibi à stultis hõinibus importunos honores, toto animo respuant, Deumque solum omni adorationis specie, coli cupiant. Summa igitur sanctos iniuria afficiunt papistæ, dum talia illis obtrudunt, quę non solum per duliæ commentum fucari possunt, sed quæ manifestam Eidololatriam continẽt. Dum illis nõ modo statuas erigunt, & adorant eas, sed templa etiam, & dies festos constituunt, quibus quid potest esse magis impium?

¶ Et dicit mihi ne obsignaueris. &c.

Vers. 10. QVIA tã multa, arcana & sacrosãcta Dei mysteria in hoc libro reuelãtur, poterat dubitare Ioãnes, an ea in publicũ proferenda esset, nisi cœlesti oraculo disertè prohibitus fuisset sermones libri ꝓphetię huius, tãquàm απόῤῥητα quædã ῥηματα obsignare. Quanquam & alia ratio additur, nimirum tempus prope esse, quo hæc prophetia suum consequeretur

queretur effectum. Iam tum enim operabatur mysterium iniquitatis, & Antichristo viam sternebat. 2. Thes. 2. Iam tũ igitur vsus esset huius reuelationis in ecclesia. Daniel alijq; prophetæ, multa obsignare iussi sunt, quorum executio in longum tempus ptotraheretur. Ioanni verò prohibitum est obsignare sermones propheticos, quia prope tempus eorum perficiendorum adesset. Cęterum hic locus abundè refellit eorum stultitiam, qui nihil nisi ænigmata perplexa contineri putant hoc libello, è quibus nihil certi aut definiti possimus elicere. Non enim obsignati sunt sermones eius, quo minus permulta admodum vtilia cognitu, pius ac studiosus lector intelligere possit. Nihil enim frustra prodit scriptis spiritus sanctus, modo sobriè & reuerenter, vt in tantis mysterijs par est, ad ea explicanda accedamus.

¶ *Qui iniustus est. &c.*

NE tœdio frangantur piorum animi, diuturnitate tantorum malorum, iterum spem facit aduentus sui Christus, non longè differendi vt iuditij sui rectitudine omnia iam confusa ac perturbata restituat, hoc est, vt præmia bonis, impijs verò pœnas statuat. Videmus enim vt maxima pars hominum iniurijs sese venditet & fœdarum voluptatum illecebris dedita, omnia sibi licere iactitet, quàm diu Deus è cœlo in eorum impietatem non fulminat. Hypocritæ etiam suauiter Deo & hominibus se illudere putent. In his tantis corruptelis & offensionibus, difficile est pios retinere suam pietatem, ne vel exemplo lædantur, vel iniurijs vincantur, vel impiorum rebus secundis offendantur. Pios igitur & sanctos confirmat Christus, ne à sanctitate & innocentia morum, vlla ratione discedant, nam nec impunè laturi sunt reprobi sua scelera, nec pij præmio carebunt, cum ipse breui adfuturus sit, & vnicuique mercedem qualem opera eius postulant repositurus, cæterum de meritis operum bonorum, nihil hic opus est attingere quid sententiendum sit, cum alibi sæpe expositum sit. Præmia enim ex Dei misericordia tribuuntur, non operibus *Vers.* 11. & 12.

bonis debita sunt, cum ipsi totius legis adimplendæ debitores simus, siquidem mercedem pro meritis operũ postulare velimus.

Vers. 13. ¶ *Ego sum α & ω. &c.*

VT nihil certius esse credamus quam sit doctrina hæc de præmijs bonorum & reproborum supplicijs, immutabile Dei decretum interponitur. Nimirum quod hæc sit sententia eius qui sit α & ω, principium & finis, hoc est, æternus ille Iehoua, à quo omnia hoc habent quod sunt, & ad quem omnia referuntur, qui solus absque principio sit & fine ex seipso. Cæteris rebus creaturis suis quibus voluit, æternitatem largitus sit.

¶ *BEATI QVI faciunt præcepta eius. &c.*

Vers. 14. BEATA seruitus illius obtemperare præceptis, qui tantis præmijs sibi audientes ornat, & tam atrocia supplicia in rebelles & contumaces decernit. Quotquot enim illius mandatis obsequũtur, satiabuntur fructu arboris vitæ, cuius esu parentes primi, propter inobedientiam sunt priuati. Et vt ciuibus nouæ & cœlestis Hierosolymę, liber illis per portas patebit ingressus in ciuitatem, à qua exulabat Adam rebellis cum tota sua progenie.

¶ *Foris vero canes. &c.*

Vers. 15. QVI vero huius sæculi illecebris capti, malunt esse incolæ maledictę terræ, securè contemnentes præcepta Dei, eis nullum ius competit in sancta ciuitate in quam nihil prophanum aut immundum introibit. Non canes qui sacra omnia spernunt, & in sancta procijciens eis, rabiosè insultant. Non malefici incantatores, qui sacro Dei nomine ad diabolicam impietatem abusi sunt. Non scortatores nec adulteri, qui se fœdis libidinibus, vt porci contaminarunt. Non homicidæ, qui sanguinem humanũ vt feræ sitiunt. Non Idololatræ, qui nouos Deos, sibi fabricant, cum maxima & atrocissima solius veri numinis iniuria. Non hypocritæ fallaces, mendaces hæretici, nouo-

rum

rum dogmatum auctores, neque qui talibus impostoris libenter aurem accommodant, in sancta ciuitate, in qua habitat sanctitas, munditia, charitas, veritas, locum inuenient. Et ne medium aut tertium aliquem locum aut statum comminiscamur inter summam felicitatem & summam miseriam, extra ciuitatem collocat omnes impios quos prius cap. 21. in lacum sulphureum coniecit. Valeant igitur fabulę Papistarum de limbis quos vocant patrum, & infantum non baptizatorum, cum reliquis id genus portentis mendaciorum, quæ ventres pigri & bene saturati somniauerunt. Qui enim extrà ciuitatem sunt, miserrimi sunt, non solum quod illis bonis careant quibus in ea perfruuntur ciues eius, sed etiam ęternis gehennæ cruciatibus torquentur.

¶ *Ego Iesus misi. &c.*

NVNC perspicuè & absque vlla allegoriæ obscuritate, Christus Iesus se auctorem fatetur huius prophetiæ, qui angelo misso, eam Ioanni per modum reuelationis aperuit ad totius ecclesiæ emolumentum. Admonens simul in fine ecclesias illas septem Asiaticas, apud quas deponendus esset hic thesaurus, quemadmodum fecit in principio, quanto honore eas dignatus sit, vt custodes ac testes constitueret huius reuelationis. Quàm vero hoc necessarium fuit, vel ex eo satis perspicimus, quod omnibus machinis eius auctoritatem oppugnauit diabolus, quo melius laterent Antichristi fraudes, quę in hac prophetia perspicuè deteguntur. Itáq; valdè negligenter habitus fuit, hic liber apud veteres, quantumuis eam Christus summa cura conseruandum mandauit. *Vers.* 16.

EGO sum radix & genus Dauid. &c. Vt rata sint apud pios quæ de futura beatitudine concionatus sit: profitetur se Christus esse radicem & genus Dauidis, cui æternum illud ac felicissimum imperium, omniunm prophetarũ vaticinijs constitutum sit. Se stellam esse lucidam & matutinã quę breui adfuturum clarissimæ lucis diem promittat, eum

omnibus tenebris fugatis, perpetuo lumine fruētur fideles.

Vers. 17. ¶ *Et spiritus. &c.*

CVM primum spem facit aduentus sui Christus, statim spiritus ille qui adiuuat infirmitates nostras, & intercedit pro sanctis gemitibus inenarrabilibus, cum vniuersa ecclesia quæ est sponsa Christi, quasi obuiam procedens in illius amplexus, in hanc vocem precationis erumpit. Veni & ne distuleris aduentum tuum.

„ „ *ET qui audit &c.* Quæ sunt totius ecclesiæ, ea debent esse singulorum vota, hortatur igitur spiritus sanctus, vnum quemque huius prophetiæ auditorē, vt diligat aduentum Christi, & pro eo sedulò oret. Christus autem vt in medio huius vitæ cursu consoletur suos, omnibus sitientibus, vitæ æternæ lymphas gratis per fidem largitur. Sed videtur vitam æternam nostræ voluntati tribuere. Qui vult (inquit) accipiat. Verum est, sed vt velit quis Dei gratia præueniri oportet. Quāquam non hic de leui aliquo voluntatis motu sed ardenti potius studio (quod per sitim prius expressit) volūtatē intelligere debemus. Talis voluntas, nisi diuinitus formata, nemini inest, à natura. Neque enim volentis nec currentis est, sed miserentis Dei. Rom. 9.

Vers. 18. & 19. ¶ *Contestor enim. &c.*

PRÆSCIVS spiritus sanctus cōtrouersiarum quas excitaturus esset diabolus de auctoritate huius prophetiæ, impellit Ioannem vt grauissima obtestatione eam obsignet. Et tamen nihil non molitus est Satan aduersus eam, sed frustra. Vt æqualis igitur statuatur eius auctoritas cum reliquis Dei oraculis, quibus fas nihil est adijcere, neque detrahere, horrendas pœnas eis mīnatur, qui tale aliquid in hanc prophetiam ausi fuerint. Quod auferendam dicit sortem à libro uitæ, non sentit prius habuisse sortem in eo, sed antithesin sequitur, cum prius de adijciendo loquutus esset.

Dicit